LAVRENTII
Grimalii Goslicii
DE OPTIMO SENATORE
LIBRI DVO.

In quibus Magiſtratuum officia, Ciuium uita beata, Rerumpub. fœlicitas explicantur.

OPVS planè aureum, ſummorum Philoſophorum & Legiſlatorum doctrina refertum, omnibus Reſpu. ritè adminiſtrare cupientibus, non modò utile, ſed apprime neceſſarium.

Acceßit locuples rerum toto Opere memorabilium Index.

CVM PRIVILEGIO,

VENETIIS, *Apud Iordanum Zilettum*,

M D LXVIII.

LAVRENTII

Grimalii Goslicii

DE OPTIMO SENATORE

LIBRI DVO.

In quibus Magistratuum officia, Ciuium uita beata, Rerumpub. foelicitas explicantur.

Opus plane aureum omnium Philosophorum & Legislatorum doctrina refertum, [illegible] Reipub. [illegible] [illegible] necessarium.

Additus locuplex rerum toto Opere memorabilium Index.

Cum Privilegio.

VENETIIS, Apud Iordanum Zilettum.

M D LXVIII.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI ET DOMINO D. SIGISMVNDO AVGVSTO REGI POLONIAE,

MAGNO DVCI LITVANIAE, RVSSIAE, PRVSSIAE, MASOVIAE, SAMOGITIAE, LIVONIAE, &c.

Domino suo clementissimo.

NEMO est sapientissime REX, qui nesciat, beatas eas ciuitates existimari, in quibus ciues tranquillam vitam ac felicem traducant; vt contrà miseras, in quibus ijdem haud satis magnis ad quietem ociumq; sint instructi præsidijs. Neque enim Respub. beata sine ciue felici, nec in Republica misera potest esse ciuis beatus. Verùm quæ potissimum ad ciuitatem, ciuiumq; beatitudinem efficiendam

pertineant, magna est, eáque doctorum iampridem hominum opinionibus confirmata dissensio. Etenim alij certis hoc legum præscriptis assequi nos posse, alij quadam potius ciuilis disciplinæ institutione putarunt. Nonnulli clementi quadam ipsius cœli, sub quo viuimus, aspiratione ad honestè viuendum aptos reddi nos, ac quodammodò inuitari existimarunt. Quidam etiam optimorum opus hoc esse Regum duxerunt, si se ad eorum virtutes imitandas ciues contulissent, totosq́ se ad exemplum eorum ac similitudinem confinxissent. Atque horum quidem ego sententiam præ cæteris verißimam esse, cùm ex alijs, tum ex te potißimum, Auguste REX *potentißime iudico. Neque enim aliunde Reipublicæ Regniq́ nostri firmam quietem, ac beatitudinem proficisci arbitror, quàm quòd tantus est virtutis, ac sapientiæ tuæ splendor, vt omnium in se ciuium, populorumq́ conuertat oculos, ac pulchra sui imitatione accendat. Ciuesq́*

tui

tui eò studium suum omne ac diligentiam conferant, vt te in primis nutumq́ uerò augustißimum tuum intueantur. quippe qui sentiant in summo, eoq́ iusto Imperio tantam inesse æquitatem, atque clementiam, vt se non magis cogi ad obtemperandum, quàm allici ad diligendum arbitrentur. Etenim magnitudo autoritatis tuæ tanta est, vt ipse non modò Regni moderator, & legislator, sed quod in Republica libera maximum est, ciuium tuorum virtutis, laudis, & dignitatis iudex, censor, & æstimator sis, Regnumq́ ipsum ita iustum est, vt iustius nullum in terris reperiri posit. Ipse præterea principatum istum non, vt plerique, aut hæreditate, aut sanguine, aut occupatione, sed vna, quæ in te, & maioribus tuis perpetuò floruit, constanti excellentis virtutis, ac sapientiæ opinione, summa Polonorum omnium consensione adeptus es. Fuit enim, si verum fateri velimus, Iagelonum familia vberrimum Regum seminarium vsque adeò, vt externæ

gentes

gentes quoque moderati, fortisq; Imperij ſpeciem quærentes ex ea ſibi Reges depoposcerint. Quorum vtinam ſtirps in Hungaria & Bohemia diutiùs permanſiſſet. neque enim his arma tractantibus Turcarum Imperator eò, quo veniſſe videmus, potentiæ proceſsiſſet. Quæ quidem & ſi præclara atque admirabilia omnia ſunt, tamen grauiora, atque ampliora eo nomine euadunt, quòd ad ſummas iuſtasq; regendi quaſi habenas, Senatus tibi conſilium adeſt tùm nobilitatis, tùm prudentiæ laude præcellens; idq; tuo potiſsimum iudicio, arbitrioq; delectum. Cuius moderatione, ac ſapientia non minimam Regni noſtri contineri quietem, ac gloriam intelligimus. Omitto cæteros magiſtratus, qui etiam Reipub. felicitatem non ornant modò & illuſtrant, verùm etiam amplificant, adeò ut Polonia dicatur eſſe domicilium libertatis, ſedesq; veri ac iuſti Imperij. Te verò id autore fieri, & effectore quis non videt? Quæ omnia cùm ego ab ineunte adoleſcentia admirari cœpiſſem, ac procedente

cedente

cedente ætate, & iudicio augescente quàm præclaris Philosophorum, atque antiquis nobilium Rerumpub. institutis conuenientia essent, viderem, putaui me non inanem operam esse adhibiturum, si quæ aut ingenio meo peperissem, aut alicuius scriptis legendis ad hanc rationem pertinentia collegissem, ea memoriæ, posteritatiq́ue ad communem vtilitatem hominum consecrarem, tuoq́ue in primis ea nomini, qui huius laboris propè causam dedisti, dedicarem. Non vt te aliquo modo instituerem (neq; enim summa tua sapientia cuiusquàm præcepta desiderat) sed ut his legēdis virtutum tuarum similitudine ductus oblectareris, teq́ue ei Imperio præesse gauderes, quod iustißimum esse cùm res ipsa, tum verò antiquorum non contemnenda testimonia comprobarent. Rem quidem magnam ac multis difficultatibus impeditam, ipsam, quam institui, de Optimo Senatore disputationem intelligo. Sed me difficilia quanquàm infirmis viribus prosequentem honestæ laudis non improbanda, vt puto, cupiditas, communisq́ue

munisq́; hominum vtilitas satis, ut arbitror, excusabit. Te certè pro tua clementia, quæ isti Maiestati, atque adeò toti Iagelonum familiæ insita est, boni consulturum esse, non dubito.

LAVRENTII
GRIMALII GOSLICII
De Optimo Senatore
LIBER PRIMVS.

QVI SE TOTOS ad ea conferre ſtudia ſolent, quæ non priuatæ modò iucunditatis, verùm etiam vtilitatis publicæ, fructum in ſe continent; perfectam veramq; laude dignam quærere ſapientiam mihi videntur. Sapere enim, vt aliis prodeſſe poſsit, ſapientem omnino decet. Omnium autem diſciplinarum, quæ prodeſſe maximè delectareque ſolent, nulla, mea quidem ſententia, iucundior, nulla vtilior, nulla præſtantior eſt ciuili ſcientia; quæ felicitatis humanæ dux eſt, et publicæ rei, communiſq; vitæ magiſtra. Quod cùm ego multorum exemplis, vſuq; rerum non mediocri, verum eſſe cognoſcerem; probaremq; ſapientiæ genus illud, quod in Reipub. adminiſtratione verſatur, et ratione iudicioq;, non falſa opinione, caſuue, aut fortuna res omnes moderatur: volui ſanè, quid de optimo Senatore, de eius item officio, virtute, dignitate ſentirem, in medium adferre, fructumq; diligentiæ meæ, et cum his qui reſpub. gubernaturi ſunt, et qui hac philoſophandi ratione ſe oblectant, communicare. Qua in re è penetralibus ciuilis ſapientiæ eruenda, mihi diligentius elaborandum putaui, vt omnes ſummorum philoſophorum arculas euoluerem, nihilq; huc adferrem, quod non ſapientum legiſlatorum, ſenatorumq; prudentium pigmenta redoleret. Hoc autem in perſona ſenatoris effici poſse maximè iudicaui, quòd eum ob ætatis maturitatem, virtutes ſummo viro dignas exercere crederem; tum in eo loco gradum tenere di-

gnitatis ſcirem,ex quo ciues ſalutem,tranquillitatem,ſalutariaq; Reipub.conſilia, petere conſueuerunt. Neque ego ſenatoris ideam fingo, quæ ſola mentis acie compræhendi ſolet,cuius in cœlis imago,in terris ne vmbra quidem reperiatur: qualem Plato Reip. Cicero Oratoris finxerunt. Nõſtra omnis dicendi ratio in medio poſita eſt, et à communi hominum vſu conſuetudineq; non recedit. Quæ igitur ex Academiæ ſpaciis, ex officinis Rerumpub.ex ciuili ſapientia, ex vſu forenſi, ex hiſtoriæ experientiæq; theſauris,de Senatore dici potuerunt,in hunc librum coniecta ſunt. Et quod in bona ciuitate conſtituenda Plato iubet, hoc in optimo Senatore deſcribendo faciendum putauimus; vt omnibus Populis,Ciuitatibus,Rebuſp.peragratis,tanquam ad nundinas Senatorum profecti, quæ virtutes,qui mores, quæ leges,quæ officia placuiſſent auferremus, noſtroq; Senatori traderemus. Cæterum quia videbamus ob uarietatem Rerumpub.varios quoque Senatores eorumq; virtutes et officia eſſe: propterea Reipub. formam, omnium iuſtiſsimam et communiſsimam deſcripſimus, in qua Regis autoritatem, et populi poteſtatem, Senatoris prudentia conſiliumque moderatur. Vnde primum de Rerumpub. formis,generibus,felicitate,de ciuium vita beata, de Senatoris educatione, diſciplinaq; nobis dicendum putauimus: vti Senator hoc pacto Rempub. quam gubernaturus eſt cognoſcat, habeatque virtutum præcepta, quibus inſtructus, et honeſtè viuere, et ad tam amplæ dignitatis faſtigium aſcendere queat. Virtutes autem eius et officia, ita deſcripta ſunt, vt eorum omnis cognitio, non huius modò noſtræ, ſed etiam aliarum Rerump. Senatoribus, vtilis eſſe poſsit. Quoniam autem à Platone didicimus,tum beatas fore Reſp.cum eas aut Philoſophi regere cœpiſſent,aut qui regerent, ſe totos ad ſapientiæ ſtudia contuliſſent: ideò à ſapiente viro,atq; ab hac Reip. ciuiliq; ſapientia, nobis erunt de optimo Senatore capienda primordia.

Animantium omnium,quæcunque terræ continentur ambitu, prima conditione generatum hoc animal eſt, quem vocamus hominem.Hic.n.ſolus, ex tot animantium generibus naturiſq;, mundi eſt factus non incola modo ciuiſq;, ſed

ſed etiam princeps et dominus. Eius verò dignitatis gradum et amplitudinem eſt, ab illo ſupremo cœlum terramq; regente Deo conſecutus: qui eum huius vniuerſi orbis, quaſi communis deorum atq; hominum vrbis adminiſtrandæ, ſibi ſocium aſciuit, diuinaq; mente ornauit; vti conſilio rationeq; deorum, mundi hoc imperium prudenter, ſanctè, iuſtè gubernet. Societatis verò inter ipſum hominesq; cauſa eſt, mens et ratio: quæ perfectionem ſuam in hominibus adepta, ſimiles eos Deo reddit, quaſiq; mortales Deos efficit: ex quo vel agnationem, vel genus, vel ſtirpem cum his nobis eſſe putamus. Nulla ſine Deo præſente ratio bona eſt, ſemina in humanis corporibus diuina ſunt diſſeminata: quæ ſi bonus cultor exceperit, naturæ et origini ſuæ ſimilem fructum propagant: ſin malus, non minus quam in ſolo ſterili, vepres pro frugibus effundente intereunt. Homo igitur, qui ſeipſum norit, cuncta intelliget ſe habere diuina, mentemq; et rationem in ſe ſuam, tanquàm imaginem aliquam ſanctam putabit, tantoq; beneficio diuino, ſemper aliquid dignum, et faciet, et ſentiet.

Similes Deo homines quo modo.

Cùm itaq; Deo conſociati ſimus, eiusq; gente et agnatione teneamur, omnino hunc orbem, quaſi urbem et ciuitatem aliquam, eiusq; adminiſtrandi et regendi poteſtatem, cum Deo communem habeamus neceſſe eſt. Cuius quidem, quoniam ipſe autor et architectus extitit, ortusq; noſter ab eo rerum omnium parente emanauit: omnia nobis in eo regendo conſilia, iura, leges à Deo petenda ſunt: uti diuinus hic orbis, non hominis, ſed immortalis Dei nutu, voluntate, ſapientia, regi gubernarique ſciatur. Quemadmodum enim pecudes à pecudibus, ſine aliquo paſtore homine, cuſtodiri et regi nequeunt: ita nec homines ab hominibus, ſine duce Deo, benè gubernari poſſunt. Quod ſi aliquem imperare ſine Deo, hoc eſt, abſq; diuina voluntate, ſapientia, prudentia contingat: non modò Rempub. omnem, ſed vitam ſingulorum infelicem et miſeram fore neceſſe eſt; fruſtrà quis enim pro Repub. excubat, ſi Deus non eſt eius cuſtos et conſeruator. Ex quo intelligendum eſt, omnem virtutem et ſapientiam, à Deo ad homines perueniſſe; eamq; cauſam maioribus noſtris fuiſſe

Homo rationi obtêperans Deus quodã modo eſt.

Adminiſtratio Rerumpub. à Deo petenda eſt.

virtuti, fidei, concordiæ, ſapientiæ, paci, publicè templa dedicandi et conſecrandi.

Quomodo verò à Deo adminiſtrandi imperii, conſilia petenda ſunt? an rerum omnium maximarum, minimarumq; obſecrationes, ad aures diuinas perferri debent? Efficiendum id ſanè eſt, à Diisq; poſtulanda ſunt omnia, curandumque vt preces noſtræ, rationi non ſint aduerſæ. Stultis autem et ratione abutentibus, non ſunt in cœlum eleuandæ manus, non clamoribus feriendus æther, non vociferationibus diuinæ aures obtundendæ, quaſi melius exaudiantur, impetrentque leges iuſtè et rectè gubernandi. Cæterum Deus ſapientibus adeſt, cum illis eſt, intus eſt, et, vt Naſo pulchrè,

Eſt Deus in nobis, agitante caleſcimus illo.
Spiritus hic ſacræ lumina mentis habet.

Sapiẽs vir quomodo Deus efficitur.

Diuina ratio obſidet et occupat animum illorum, hanc uti colunt, ita colit illos ipſa, Deosq; quodammodo efficit. Bonus et ſapiens vir, ſine Deo, nemo uiuit, eſt prouidus, ſagax, plenus conſilii: ad ſimilitudinem enim Dei accedit propria virtute, quæ à vera ratione proficiſcitur. Aequum eſt igitur, non, vt quidam præcipiunt, quòd ſimus homines, humana mortaliaque ſapere, ſed nos quantum fieri poteſt à mortalitate uindicare, et ei parti, quæ in nobis eſt optima, conuenienter uiuere. Quid eſt autem optimum in homine? nihil ſanè aliud, quàm ratio; huius beneficio Deum agnoſcit, uirtutes exercet, bona percipit, mala euitat: hæc perfectum et abſolutum illum, ſapientem, magnanimum, iuſtum, fortem efficit. Satis apparet igitur, mundum adminiſtrari et regi ab homine mente et ratione diuina: ex quo fit efficiendum illi, uti eam ducem in ea ſemper adminiſtratione ſequatur, omnia conſilia, iura, leges, omnes denique cogitationes ab illo ſupremo Deo, hoc eſt, à diuina, quæ in eo eſt, ratione, tanquam ab oraculo petat: hoc enim modo prudenter, diuinè, iuſtè, ſemper e[illegible]t imperaturus. Vt enim illa ratio, quæ Deo ineſt, et Deus e[illegible] ſumma lex eſt: ſic in homine ſapiente, hæc eadem cùm eſt perfecta, Deus item et lex dicitur. Vnde Lacones, eos homines, quos ſapientiæ iuſtitiæque laude, cæteris excellere putabant, diuinos appellare ſolebant, qualem Homerus deſcribit Hectorem.

Optimũ in homine ratio.

Deo paret qui rationi obtemperat.

Non

Non hominis certè mortalis filius ille
Esse uidebatur, sed diuo semine natus.

Rationi igitur quicunque paret, ac eam ducem in omnibus dictis et factis sequitur, Deus inter homines iudicandus est; talisq; solus Rex, Princeps, Rector huius uniuersi censendus. Is demum scit, quid agendum, quid consulendum, quid sentiendum sit, solusque cognoscit hæc bona, quæ à ratione et consilio deorum proficiscuntur.

Quoniam autem huic principi et rectori est in hominum societate, et congregatione viuendum, eaque societas partim in communi hoc omnium orbe, partim in ciuitatibus subsistit; necesse est, vt ad eam societatem, communionem, et coniunctionem hominum tuendam, lumen hoc ingenii, rationis, consiliiq; sui adhibeat. Vnde duas illi Respub. vel ciuitates tradamus gubernandas; alteram quidem Rempub. qua Dii simul atque homines continentur; quæ non Africæ, Asiæ, et Europæ finibus, sed solis lumine, velut termino circumscribitur: alteram verò, cui nos ascripsit conditio nascendi, hæc autem Græcorum, Latinorum, Germanorum, Gallorum, Hispanorum, Polonorum, Lituanorum, Rutenorum, et aliorum eius generis fuerit. Prioris Reipub. gubernationem, solo compræhensam animo tenebit, omnia perspiciens, mente rationeq; collustrans, ordinem et naturam, tam illius uniuersi, quem Græci μακρόκοσμον vocant, nos maiorem mundum; quàm eius in quo viuimus, spiramus, intelligimus, hominis scilicet, qui μικρόκοσμος, hoc est, minor mundus appellatur. Nam cum animus à corporis obsequio discedit, propriam naturam et officium amplectitur, illam aciem ingenii, quæ tam ad deligenda bona, quàm reiicienda mala ualet, exacuit, uirtutes agnoscit, voluptates spernit, cupiditates subiugat, sibi imperat; quid hoc imperio gubernatioueq; dici, aut excogitari potest diuinius? Idemque cum cœlum, terras, maria, omniumq; rerum naturam perlustrat, et vnde illa procreata sint cognoscit, quod principium, quam causam, finemvè habeant, quid in his æternum, mortaleq; sit, quæ stellarum natura, unde is ortus occasusq; solis, lunæ motus, qui rerum omnium interitus, quæ elementorum, animalium, plantarum vis et natura: hæc inquàm omnia,

Publicarũ rerum consideratio duplex est

nia dum percipit, ipsumq; supremum hæc omnia moderantem et regentem Deum, penè prehendit: in hac ille sapientia, atque in hoc conspectu cognitioneque naturæ, Dii immortales, quàm se, non ciuem et popularem, loci et ciuitatis alicuius, sed orbis totius, quasi unius vrbis Principem, merito potest appellare? Socrates cùm interrogaretur, cuiatem se esse diceret, mundanum respondit: totius enim mundi se ciuem et incolam, ac quasi principem putabat. Quid Diogenes, ut refert Laertius, nonne κοσμοπολύτης erat? Huiusmodi ciuitas non Tyrannis seruit, non legibus à quoquam excogitatis est subiecta, non muris est circundata validis, sed huius uniuersi spaciis comprehensa, motu et ordine naturali, quasi lege certa et perpetua, nec unquam mutabili regitur, elementorumq; est circundata mœnibus. Eius ciues, diuino hoc nomine Philosophi appellantur, sibiipsis imperantes, et animum inexpugnabilem ab omni flatu fortunæ aduerso gerentes. Hoc principatu, nulla uis hostium eos detrudere, non arma cuiusquam depellere, non ignis ullus, tempestasvè exturbare possunt: semper inuicti, fortes, beati, liberi, metu periculisq; sunt omnibus uacui. Demetrius Antigoni filius, cum Megaram cœpisset, in qua urbe Stilpo Philosophus agebat, iussit eum ad se accire, rogareq; num aliquid rerum suarum amisisset, restituturum illi se omnia quæ uellet promittens: respondit ille, neminem se vidisse, qui vim vllam vnquam Philosophiæ intulisset, tantum abest, vt eam eripere posset: huius possesione diuitem se esse, cætera hæc non curare, non enim sua magis, quàm obsidentium sibi videri.

Mundus, ciuitas omnium cõmunis.

Philosophi.

Sed quoniam omnis ratio philosophantium, est partim in agendis, partim in contemplandis rebus occupata, necesse est, vt ex eo quoq; duplex genus publicas res gubernantium emergat. Quorum quidem primum eorum est, qui studium omne suum, in solam veri cognoscendi scientiam conferunt; nec vltrà progredi volentes, in eo portu quiescunt, sola contemplatione, huius orbis imperium, velut habenis ingenii moderantes: hi etiam vitam ciuilem perosi, soliuagam et solitariam amplecti solent, iure, domo, tribuq; carentes: vti de eis cecinit Homerus. Quos ex eo loco, primum quidem

Publicæ res & agẽdo & contemplãdo reguntur.

quidem oramus, ac deinde cum Platone compellimus ad Rempub. et eam vitæ rationem amplectendam, quæ ciuilis, et humana est, quam secundo loco in agendo, consistere diximus. Etenim cognitio contemplatioq; naturæ inutilis est, si eam nulla rerum actio consequatur, quæ in hominum commodis tuendis perspici debet. Quis est enim tam studiosus cognoscendæ perspiciendæq; naturæ, vt illi res philosophicas contemplanti, si nuntius perferat aliquis, ciues, amicos, cognatos, parentes, patriam deniq;, si non illi subitò præstiterit auxilium perituram, non anteponendam malit, omnibus stellis, elementis, mundique totius considerationi et contemplationi, salutem patriæ? Ad agendum itaq; philosophum inuitemus, ipsique tradamus Rempub. non istam quidem communem omnium, quæ Solis et elementorum finibus terminatur, sed illam, quam iure, lege, genere que nostro prehendimus, et quæ ex hominum est congregatione, societateque conglutinata: futurum enim credimus, vt ab illo diuinarum rerum administrationem cognoscente, hæc humana melius, prudentius, et iustius gubernanda sint. Contemplatione enim rerum diuinarum suam instruxit et instituit mentem, et Deorum ratione, sapientia, legibus enutritus, ipsemet erit patriæ suæ, quasi Deus alter. Hac uoluntate sapientiaque præditus Solon Rempub. Atheniensium sumpsit gubernandam: Spartanorum Lycurgus: Eleatum Parmenides. Talibus informabant etiam legibus et institutis, Thebanum Epaminundam, Lysis Pythagoreus: Syracusium Dionem, Plato: Alexandrum magnum, Aristoteles: Periclem, Anaxagoras: Italiæ principes, Pythagoras: Octauium Augustum, Agrippa: multiq; multos. Vnde beatas illorum fuisse Respub. legimus, quòd Rectores earum aut ipsi Philosophi fuissent, aut Philosophos ad Rempub. sibi socios, consiliariosque asciuissent. Huius sapientiæ gratia, Cato Senator præstantissimus, Athenodorum adamauit, Vlisses, uti refert Homerus, Charitum Philosophum, Pyrrhus Artemium, Traianus Plutarchum, Scipio Panætium, uirum æqui et iniqui, uti scribit Plutarchus, scientia cumulatum. Philosophia namque, si priuatum aliquem hominem

Contemplatio sine actione ad Rempub. inutilis.

Philosophi Rerum publi. gubernatores esse debent.

Philosophia priuatorum inutilis.

minem

minem nacta fuerit, qui gaudeat ocio, qui nihil agat, qui perexiguo in agello, tanquam magico circulo, circundatus inhabitet, qui solis tantùm calorem hauriat, solaque pera cinctus, et baculo subnixus inambulet, omnia contemnat, respuat, abiiciat: paruam aut nullam prorsus, hominibus vtilitatem adfert, in vnoq; quasi conclusa stipite marcescit, simulq; cum eo interit. Verum si ciuilem, nobilem, et ingenuum virum, vel principem, et ad magistratus, resq; gerendas natum et aptum hominem attigerit: næ illum diuinum, magnanimum, sapientem, prudentem effectura est.

Quæ verò Respub. huic tanto, tam prudenti, tamque diuino philosopho tradenda sit, dubitari potest: non tam enim de nomine Reipub. quæ est ordo quidam urbem incolentium, quàm de genere, controuersia nascitur. Quemadmodum hominum diuersi mores, uaria studia, dispar conditio: sic Rerumpub. multiplex est gubernatio. Quarum singulæ, tametsi finis vnius causa, boni scilicet, quod est in hominum felicitate positum, constitutæ sint, eamq; felicitatem peræque omnes expetant: diuersas tamen eius consequendæ rationes inire solent, variisq; legibus et moribus vtuntur. Si quis enim leges Hippodami, quas Milesiis conscripsit inspiciat, si Minois, quas Cretensibus, si præterea Lycurgi et Solonis, quorum alter Lacedæmoniorum, alter Atheniensium Rempu. constituerunt: diuersissimas in eis leges, dissimiles magistratus, dispares Rerumpub. formas sanè viderit. Illi septem etiam sapientes, excepto Thalete, qui à Reip. gubernatione se remouerat, diuersa studia, leges, imperia, pró ingenio ciuium, et voluntate sua, in Respub. induxerunt; variisq; institutis et moribus eas administrarunt. Quæ res controuersiis et contentionibus maximis locum dedit, ut multi tam ex Academiis, quàm etiam scholis forensibus disputare non dubitarint, quot Rerump. genera sint, quæuè ex multis laudari meritò, et amplecti debeant. Platonem et Aristotelem cæteris in ea re præstitisse videmus; qui quidem naturis hominum, ac regionum huius orbis optimè perscrutatis, quæ Rerump. administrationes, quæ imperia, quæ leges, quibusq; competant, doctè satis et diligenter

Respub. quid?

Diuersitas Rerump. vnde.

genter inueſtigarunt. Horum familiæ nos ſententiam ſecuti, tria inprimis Rerumpub. genera facimus: quorum primum ſibi vendicat locum βασιλεία, ſiue μοναρχεία, Secuncundum Ἀριϛοκρατία, Tertium δημοκρατεία: Latinè dici poſſunt, regnum, optimatum principatus, et popularis Reſpub. *Diuiſio Rerumpub.*

Cùm enim Dii animum in homine, tres partes occupare, triaq; loca voluerunt, quaſi Rerumpub. formas ac ideas in homine exprimere volentes, Regem ipſum, rationem ſcilicet, cuſtodem Reipub. conſultoremq;, in capite tanquam arce conſtituerunt, ipſiq; ſoli principatum aſſignarunt. Secundam animi partem, acrem illam et vigentem, mandatisq; conficiendis aptam, ipſi adhærentem pectori, nec longè à capite remotam, cum ipſo principe coniunxerunt, ac conſociarunt; quæ à Platone iraſcendi uis, et affectuum ſedes dicitur. Tertiam, quæ iners quædam multitudo dici poteſt, petulans plerumq;, proterua, procax, cupiditatibus luxurians, voluptatibusq; referta, ſubter præcordiis locatam, ab illis duabus diſcluſerunt. In his animæ partibus, tanquam aliqua imagine, tres iſtæ Rerumpub. formæ perſpici poſſunt. Quarum quæ ſuprema eſt, Regiam gubernationem obtinet, ad imperandum ſemper nata. Secunda tametſi loco poſterior, conditione tamen primæ non inferior eſt, ſi in omnibus illi paruerit. quemadmodum enim ratio ſine affectionibus quaſi ſatellitibus adiunctis, in Repu. omniq; prorſus actione, debilis eſt et languida: ita Senatus ſine ratione, qua partim duce, partim quaſi milite, in rebus agendis, et prouidendis vti ſolet, mollis eſt et effæminatus. Quamobrem non inſcitè Ariſtoteles, rationis partem, vnam quidem abſolutam et perfectam, ac in ſeipſa conſiſtentem appellat, alteram verò ancillantem, ſicut eſt is, qui obtemperat patri: quam rem expreſſiſſe Minutium Liuius ſcribit, dum erroris culpam apud Fabium, ex temeraria cùm Annibale pugna deprecaretur. Sepe ego, inquit, audiui milites, eum primum eſſe virum, qui ipſe conſulat quid in rem ſit: ſecundum eum, qui benè monenti obediat: qui nec ipſe conſulere nec alteri parere ſcit, eum extremi ingenii eſſe. Hæc Optimatibus competit, quod hi et à ratione vires, et ab affectionibus audaciam in rebus agendis acci-

Animæ diuiſio.

Ratio ſine affectionibus lãguida.

Vis rationis duplex

piunt. Vnde de quodam pulchrè Poeta.

Non hic sine numine diuum Furit.

Tertia pars animæ, gubernationem plebis designare uidetur, vbi multitudo quælibet audendi, legesq; ipsas condendi potestatem habet: quæ eò sæpe in contentiones et discordias prolabitur, quòd naturam gerat voluptatibus ac libidinibus obnoxiam, illudq; uitæ genus contemnat, quod est rationi et virtuti consentaneum. Rerumpub. etiam exempla et similitudines, in familiis reperiri scribit Aristoteles. Nam imperium, quo pater utitur in liberos, Regiam gubernationem repræsentat: filii enim patri curæ sunt, quibus ne quid vnquam desit prouidet, vnus pro omnibus inuigilat, eosq; delinquentes, emendare potius quàm punire solet: talem etiam rex bonus erga ciues suos se exhibere debet, et propterea ab Homero Rex Iuppiter, Deorum et hominum pater appellatur. Viri in vxorem potestas, optimatum Imperium videtur imitari, iustè siquidem vir imperat vxori, atq; ea quæ honesta sunt iubet efficere. Democratiæ fraterna societas similis est, sunt enim pares, solisque ætatum gradibus inter se differunt. Quemadmodum autem pater, si erga filios impium, crudelem, et inhumanum se exhibet, Tyrannus eorum non pater est: ita Rex, si priuatæ utilitatis causam agat, ac ergà ciues suos impius sit, leges contemnat, turpiter uiuat, Regis prorsus amisso nomine, Tyrannus uocari solet: similiter et vxor cum uiro dissentiens, et tam liberorum, quàm domesticæ rei utilitatem, aut negligens, aut abiiciens, ab optimo uerisq; parentibus digno, deficit imperio. Fratres quoq; immanitate, odiis, contentionibus efferatos, communesq; res propter luxum, et ignauiam negligentes, iustam autoritatem imperandi regendique uidemus amittere. Vitio igitur gubernantium, rectæ Respub. in obliqua et contraria mutantur imperia; quæ tria sunt, τυραννὶς regno contraria. Paucorum potentia, Græcis ὀλιγαρχία siue δυναστεία dicta, quæ opponitur Aristocratiæ. Tertia ὀχλοκρατεία hoc est plebis potentia quædam et insolentia, quæ democratiæ obiicitur. Politia, quam Plato et Aristoteles Rempub. popularem quandoq; vocant

Similitudo Rerumpub. in domestica familia.

Regis officium.

Tyrannus a rege quô dignoscit.

Obliquarum Rerumpubl. diuisio.

uocant, ad omnem statum Reipub. benè constitutæ referri potest, est enim generalis uox, et unamquamq; ciuilem administrationem denotat. Addit Plato septimum genus, regem scilicet, legibus gubernantem; quod genus Reipub. omni reliquæ gubernationi præfert: Duplicem enim hic Regem facit, alterum quidem alligatum et constrictum: alterum legibus prorsus solutum et liberum. De his Regibus ea est Platonis sententia. Vnius principatus, inquit, bonis præscriptis, quas leges dicimus informatus, ex omnibus sex Rebuspub. optimus est: sine legibus uerò, grauis quidem, et ut sub eo quis uiuat molestus; uerùm si cæteræ Respub. sine legibus sint, in eo optimum est uiuere, septimo excepto: ille enim ex omnibus Rebuspub. eligendus est, tanquam Deus ex hominibus. Rerumpub. diuersitates, non à fortuna datas, uel cœlo delapsas, sed ab hominum vel moribus, vel ingeniis, vel educatione profectas esse credendum est. Terrarum præterea et regionum situs positionesq;, Cæli, locorumque diuersæ naturæ efficiunt, non hominum modò sed Rerumpub. etiam uarietatem. Quid dicam de seditionibus, bellis, inimicitiis, quæ plerunq; magnas, et benè constitutas euertunt Respub. in statusq; commutant contrarios? Ea enim est humanarum rerum conditio, vt illis optimis, sæpe adnascens malum adsistat, virtutibusque uitia ita sint admixta, vt facilè homines à virtutibus delabantur ad vitiositates. Aliquando Respub. licet optimè sint constitutæ, malos tamen rectores adeptæ, vel euertuntur, vel ex vno in aliud Reipub. genus commutantur. Vnde ex Regibus, Tyranni, ex optimatum imperio pauci potentes, ex populari Repub. turbæ et plebis licentia Tyrannisque nascitur, itemque aliæ ex aliis. Plato fatalem quandam Rerumpub. mutationem, cœli syderumque propensione fieri scribit. Diuersitas præterea Rerumpub. oritur ex hominum ordinumque uarietate: sunt enim in quibusdam multi diuites, in aliis pauperes, in nonnullis nobiles, milites, Agricolæ, in plerisque mercatores, opifices. Vbi igitur multitudo mercatorum, opificum, agricolarum uincit cæteros, ibi statum popularem fieri consueuisse:

Politia.

Platonica Regùm diuisio.

Diuersitatis Rerũpu. causę.

Malis gubernatori bus perit ciuitas omnis.

Qui homines cõpetant cuique Reipub.

ſe: ubi diuitum, paucorum potentiam: ubi bonorum, ſapientum, et uirtute excellentium: optimatum principatum. Tria ſunt, Ariſtotele conſentiente quæ in Reipub. gubernatione certant, libertas, diuitiæ, uirtus. Nam generis nobilitas (quæ quarto loco numerari ſolet) duorum eſt comes: uirtutis et diuitiarum. Vnde locupletum et pauperum æqua mixtio, popularis Reſpub. appellatur: ipſorum diuitum factiones, paucorum potentia: omnium uerò trium, liberorum ſcilicet, diuitum et bonorum conſenſus, ſtatus optimatum dicitur. Talis autem Reſpub. fuit Chartaginenſis, nam et diuitum, et proborum, et ingenuorum in ea ciuium ratio habebatur. Omnes Rerumpub. formas, quas uel hominum vſus, uel philoſophorum, legislatorumuè excogitauit induſtria, recenſuimus: quarum quidem optima quæ ſit, uti diximus, haud facilè iudicari poteſt. Nullus enim eſt, qui non ſuam, in qua natus eſt, ac educatus, Rempub. quàm alienam amplecti, laudareque malit. Sunt quidam qui Regali pareant imperio libentius: illi uerò maximè, qui natura ſunt idonei, ad perferendum in ciuili adminiſtratione virum virtute, rebusque geſtis præſtantem. Cappadoces quòd multis ſeculis ſub regibus uixiſſent, regum poſteritate deficiente, ſpreuerunt à Romanis porrectam democraticam libertatem: vnde datus erat illis Rex Ariobarſanes, Latini nominis ſocius atque amicus. Athenienſes contrarium faciebant, nam ſemper ad δημοκρατίαν recidebant, vnius et paucorum dominationem ferre neſcientes. Inueniuntur nonnulli qui Tyrannos facilè perferunt, vt olim Siculi, quorum Reſpub. Tyrannorum fuit ſemper alumna: vt etiam omnis ferè gens Aſiatica, quæ natura ſeruilis eſt, et tyrannicæ temporibus etiam noſtris eſt ſubiecta dominationi. Ciuili imperio populus ille, vt Ariſtoteles ſcribit, potisſimum eſt aptus, qui è rebus præclarè geſtis, belloque gloriam quærere conſueuit, et propterea dignitatis memor, tam parendi, quàm imperandi uicisſitudine gaudet. Sed ad optimam Rempub. noſtra ſe conferat oratio.

Nobilitas vnde.

Qui Regibus libentius parét

Gens Aſiatica natura ſeruilis

Omnino qui de optima Repub. dicere vult, huic an-

te

te omnia optimum genus vitæ cognoscendum est: hoc enim ignorato, Respub. optima ignoratur. Sciendum est illi prætereà, qua ratione homines ad rectè viuendum informentur: tales enim Respub. sunt, quales habent homines. Quod autem optimum vitæ genus existimandum sit, varia est philosophorum opinio; Stoici enim, Peripathetici, et Epicurei inter se digladiantur, hominesque in diuersas sectas, et viuendi opiniones distrahunt. Nos Peripatheticis censemus adhærendum, eorum enim ex familia uiri prodeunt bonis cumulati perfectioribus: qui ad uirtutis possessionem, rerum etiam externarum vsum aggregant, quibus sanè vera felicitas hominis non modò exornatur, verùm etiam perficitur. Et propter id, eorum ad uitam beatam institutiones tàm hominibus, quàm Rebuspub. vtiliores esse creduntur. Stoicos asperam uitam et felicitatem adamantes, solaque virtute contentos, eatenus sequamur, quoad illi consenserint, hominem uirtutis causa bonis externis indigere: quæ natura, fortunaùe ad vsus hominum necessarios excogitauit, ut eorum possessione felicior, melior, perfectior euadat. Cùm enim felicitas in numero perfectorum sit, perfectum autem est id, cui nihil deest: certè qui felix esse uolet, omnibus absolutam numeris felicitatem habeat necesse est. Prudens igitur esse debet, iustus, temperans, fortis, diues, honoratus, pulcher, sanus, robustus. Quandoquidem hominis uita beata in felicitate consistit, isque ex animo et corpore conflatus est, necessariò requiritur, uti tam animo quàm corpore felix sit: altero enim infelici, et ad uitam feliciter agendam inepto, perfectè felix dici nequit. Si prætereà felicitas bonorum finis est, bonis abundet necesse est: quæ cum quis habet, intelliget se non solum sibi natum esse, sed felicitatis suæ fructuum, uti Cicero dicit, pàrtem patriam vendicare, partem amicos, partem parentes, cognatos, affines: quibus quidem omnibus, si felix videri voluerit, expromat oportet, non illos modo thesauros animi, iustitiam scilicet et prudentiam, sed alios etiam, ad vitam et usum hominum

Optima Respu. ex optimo vitæ genere cognoscitur.

Quales ciues sũt talis est Respub.

Felicitas hominis ĩ quo consistit.

à natura

à natura datos. Liberali enim homini pecunia opus est, ad actiones liberales, iusto ad remunerationes; fortis potentia eget, vt aliquid hac ratione dignum sua virtute faciat; temperans authoritate licentiaque. qui enim sciri potest, sit ne talis, an uero alius? Triplex philosophorum sententia, vitæ genus est pronunciatum. primum quod in agendo, secundum quod contemplando, tertium quod in voluptatibus occupatur. Hoc ultimum, voluptatis et libidinis mancipium, belluarum et infimorum hominum est: illud quod in rebus agendis versatur, si philosophiâ virtutibusq; caruerit, ineptum est, et magnis vitiis expositum: quemadmodum et id quod in veritate peruestiganda latet, si ab agendis rebus seiungitur, prorsus inutile. Sicut enim Solis aciem assiduè contemplantes, ardore vehementi excæcantur, ita mentis acies, dum continuo seipsam tenore contuetur, illaque summa et excelsa speculatur, totum hominem hebetat, inertemque et languidum reddit. Duplex itaq; genus viuendi, qui virtutem summo studio colere, vitamq; beatam traducere vult, sibi putet amplectendum, ciuile et Philosophorum, hoc est, Actionis et speculationis: his enim duobus ad Dei similitudinem accedimus, vitamq; felicem ac beatam agimus. Qui diuinarum rerum speculatione cogitationeq;, mentem suam erudit, is profecto Deo non potest non esse charissimus. Deo namq; homines hi qui secundum animum et rationem viuunt, chari sunt, quod illi similes fieri cupiunt, qui itidem est animus: simile enim simili semper est amicum. Cæterùm qui ad speculationem, honestas etiam adiungunt actiones, hi quoq; diuini et felices dicendi sunt. Nemo est profecto qui nesciat, Deos inter omnia bona, homini præstantissimum munus dedisse rationem, vt huius beneficio, omnia quæ cœlo terraq; continentur inuestigaret, Deumq; agnosceret, coleret, veneraretur. Qui igitur ex hominibus, naturæ, munerisq; sui non immemores, hoc diuinum rationis donum ante alios excolunt, et tam contemplandis rebus diuinis et humanis, quàm agendo, ad summi Dei similitudinem accedunt, communesq; Diis, et hominibus virtutes exercent: hi tanquam à Deo geniti procrea-

Triplex vitę genus.

Duplex vitæ genus amplectédum.

Ratio prę stãtissimũ donũ deorum.

tique

tiq; sint, Dii inter homines habentur. Econtrariò, naturæ humanitatisq; suæ obliti, solisque sensibus adhærentes, et acrem illam, vigentemq; mentis partem, aut negligentes, aut prorsus deserentes, facie nomineq; solum sunt homines, illa autem vera hominumque propria natura, et dignitate carent. Est igitur hæc hominum varietas et dissimilitudo, ut alii propter rationis et uirtutis exercitationes, liberi sint, nobiles, ingenui, et ad imperandum geniti: alii serui, rudes, agrestes, ad seruiendum parendumq; apti. Ex quo Respub. omnisq; hominum societas, prudentioribus obsequi, et magistratus, honores, imperia, deferre solet, eosque imperantes colit et obseruat. Præclarè Plato Deum in creandis hominibus, naturas hominum ita discreuisse scribit: vt qui ad imperandum natura apti essent, aurum illis in generatione admiscuisset: qui ad præstandum auxilium, argentum: agricolis autem et opificibus, æs et ferrum. Quam Platonis similitudinem Aristoteles, ad mores, virtutes, hominumq; ingenia accommodat. Itaq; etsi propter cognationem, sibi quisq; similem generare cupiat: plerumque tamen contingit, ut ex aurea nascatur argentea proles, et ex ea item alia atq; alia. Principibus igitur ante omnia Deus præcipit, ut naturam filiorum cognoscant, ferreamq; naturam eorum, vel ad auream reducant, uel si id non possunt, priuatos esse, non præesse uelint. Est enim oraculo proditum, tum ciuitatem perituram, cùm eam æs aut ferrum administrauerit. Crantor Xenocratis auditor, primas uitæ partes, uirtuti exercendæ dare iubet, secundas bonæ ualetudini, tertias honestæ voluptati, quartas diuitiis iustè acquirendis. Quemadmodum sine virtute uita turpis est, ita sine bona valetudine imbecilla: animus enim infirmo corpore quodammodo languescit, nec ualet suum exercere officium. Quare legislatoribus instituendi sunt ciues omnes, ad beatam vitam: hæc enim efficit et optimas, et felices Respub. Ex illis autem tribus, quas anteà commemorauimus Rebuspub. cui diuinum et felix optimæ uitæ genus conueniat, uidendum est: hoc enim declarato, facies optimæ Reipub. ipsa per se conspicietur.

Cur alii liberi, alii serui.

Hominũ conditio diuersa.

Principũ cura in educandis liberis.

Ratio vitæ instituẽdę quadruplex.

In rege eligendo q̃ spectãda.

In Monarchia qui regem Imperio præficiunt, uirtutis impri-

inprimis, rerumq; præclarè gestarum ratione ducuntur, quibus si aliquem excellere vident, Regem illum, quasi Deum inter homines iudicantes efficiunt, illud præ oculis vulgatum habentes: Rex eris si rectè facies. Est enim iustum imperium, in quo præstat imperans virtute, sibi subiectis, eisq; imperat, non tanquam dominus seruis, sed velut filiis pater. Athenienses, vt Demosthenes in oratione aduersus Neæram scribit, post institutam à Theseo Rempub. Regem, è virtute præstantioribus eligere, ac porrigendis manibus designare solebant. Erat apud omnes populos, quondam Regis electio sancta, et auspicatò fieri solita. Romulus post visos duodecim uultures, uti Liuius; vel post fulgur à sinistra ad dextram partem elicitum, uti Dionysius scribit, in Regem fuit inauguratus: legeque cautum apud Romanos erat, ne quis inauspicatò regnum vel magistratum iniret: mansitq; apud eos religiosum, ius auspiciorum. Regnandi munus esse diuinitus institutum, Homerus et Isocrates scribunt, vt similitudo quædam diuinæ maiestatis in solis regnantibus cerneretur. Persæ Reges suos pro Diis colebant, ac maiestatem, quasi tutelam esse Reipub. credebant. Prisci quoq; Latini, Indigetes Reges vocabant, quasi Deos ex hominibus factos, quales erant Aeneas et Romulus, quorum corpora post mortem nusquàm apparuerunt. Regum electio, optimorum liberorumque populorum, et virtute præstantium propria solet esse: tales enim Tyrannos, et virtuti Reges inimicos, odio prosequuntur: immo vetus Dei nostri lex, omnium optimos, et Deorum voluntate quasi declaratos, in solium regale euehit. Qui hæreditarios Reges præficere cæperunt imperiis, hi uel seditiosorum ciuium, vel barbarorum mores primi sunt secuti, apud quos dominatu et Tyrannide cuncta administrari videmus. Optimatum Respub. ex viris virtute præditis constat, qui quidem laudantur, quòd virtute cumulati ornatiq; sunt, et quia Rempub. sic administrant, vti viros bonos decet, et à legum virtutumque nihil discedentes præscripto. In statu populari, aliter se omnia habere consueuerunt; Cùm enim eius finis sit libertas, omniaq; voluntate plebis, et impetu regantur, sæpius apud eos virtutis

Regis electio. (margin)

Hæreditarii Reges. (margin)

Optimatũ Resp. (margin)

Democratia. (margin)

tutis, rationisq; locus negligitur. In ea enim Repub. ciues ea ratione boni dicuntur, qua boni sunt et utiles Reipub. non qua uitæ honestæ, quæ in uirtutis actione consistit. Vnde uirtutem illi non honestate, sed vtilitate et libertate communi metiuntur. Ius enim populare est, vt æquale quisq; non dignitate, sed numero obtineat, non id iustum iudicans, quod iustè fieri debeat, sed quod pluribus uideatur, id etiam et honestum putans, quod est populari fama gloriosum. Itaq; si in aliqua Repub. uirtutis et officiorum iura peruertuntur, in hac certè id plerumque accidit. Si enim uiri boni in ea reperiuntur, qui uitam popularem contemnant, ciuesq; monendo, repræhendendo, corrigendo, ad honestatem virtutemque reducant: hi mox tanquam communis libertatis hostes, ostracismo, probris ignominiis afficiuntur, et quandoque occiduntur. Hoc genere pœnarum, in Democratiis Græcorum erant affecti, Cymon, Aristides, Thucydides, Socrates, Themistocles, Damon: Romæ, Camillus, Scipio, et alii plurimi. Præclarum illud et memoria posteritatis dignum, de Aristide, homine uirtutis prudentiæque laude præstanti, qui propter integritatem uitæ, moresq; honestissimos, iustus ab omnibus uocabatur. Eum cùm Athenis, Ostracismo comitia essent indicta, rusticus et agrestis quidam, literarumque inscius, in forum properans obuium habuit, ac testula oblata, summis flagitauit precibus, ut Aristidis in ea nomen inscriberet. Attonitus ille, cùm quæsisset, an aliqua ab Aristide fuisset unquam affectus iniuria, minimè uerò, immò ne se hominem quidem nouisse, sed uulgatum illud iusti cognomen, æquo animo ferre non posse, respondit. Ephesios quoq; Hermodorum principem è ciuitate pellentes sic locutos ait Cicero: Nemo de nobis vnus excellat, sed si quis extiterit, alio in loco, et apud alios sit. O præclaros Reipub. popularis mores: verum herclè uerbum illud est Platonis, quod paulò ante commemoraui, tum demum Rempub. omnem perituram, cùm eam æs aut ferrum, id est homines stulti, et ad seruiendum magis quàm imperandum nati gubernarint. Hi enim postquàm ex aliquo successu belli, spiritus altos arripuerint, ad eamq; rem magistros,

Ius populare.

Aristides iustus.

et duces populares, qui eos laudent, in cœlum tollant, uirtutes illorum prædicent, nacti fuerint: tum uerò dulcissimo, quasi post diuturnam famem, gloriæ cibo inescati, uiros prudentes, sapientes, ducesq; suos eiiciunt, ipsi mox imperium prehendunt, ac illud ex arbitrio uoluntateq; sua gubernant. Vnde Respub. illorum minimè diuturnas esse uidemus. Voluntatum enim distractione, consilii inopes fiunt, post longamq; contentionum et factionum insolentiam, à paucis uel ab vno potente occupantur. Sic populus Atheniensis fecit, qui cum naualis uictoriæ in bello aduersus Medos autor extitisset, flatu illo fortunæ secundo nimium elatus, magnas in Repub. turbas, ac seditiones concitauit: bonis ciuibus frustrà rectam in partem nitentibus. Popularis quandoq; Reipub. principium et origo solet esse, uel seditio contra optimos inita, quod Romæ contra Reges et Senatum multoties accidisse legimus: uel aliquis rei benè gestæ successus, quo inflati, dominorum animos induunt, ac Rempub. occupant: quod Athenis uti dixi post Medorum, Romæ post Chartaginensium opes fractas, fecit populus. Plerunq; accidit, ut principum Tyrannide et iniuriis plebs irritata, in libertatem se, uel ui, uel armis uindicet, principibusq; eiectis, Rempub. ipsa administret: id Heluetios nostris temporibus fecisse uidemus. Imperium populare legibus bonis firmatum, et institutum, iustum esse solet et politicum; plebis autem, non legum et populi iudicio administratum, iustæ Reipub. nomen amittit. De Oligarchia et Tyrannide, nihil hic dico, hæc enim imperia iniusta sunt, et optimæ Reipub. uirtuti, uitæq; ciuili et honestæ contraria. Vnde in præstantia cuiusq; gentis, et Reipub. excellentia cognoscenda, spectari debet inprimis, Imperium, leges, libertas: sunt enim cæteris illi præferendi, qui in optima Repub. iusti sunt et liberi: eoq; maiorem laudem merentur, quo sunt in ea retinenda constantiores, firmiores, et antiquiores, quæ res ad generis nobilitatisque antiquitatem etiam pertinere putanda est. Lacedæmonii laudantur ob id, quod septingentos annos, sine aliqua uel morum, vel legum, uel Reipub. mutatione uixerunt: Cuius laudis gloriæq; vsura fruuntur nostris temporibus Veneti:

Causæ mutatiōis democratię.

Oligarchia et Tyrannis.

Præstātia Reipu. ex quo iudicari debet

Lacedæmonii.

Veneti.

neti: qui mille annos constanter eundem Reipub. statum retinent. Omnes Rerumpub. formas earumq; naturas hominesq; percensuimus, ex his facilè ut appareat, regnum, et statum optimatum, aliis præstare: hunc quidem quoniam in eo plures boni sunt, publicis fungentes muneribus: illud verò, quòd una omnium est ad publicum bonum conseruandum voluntas, vna mens quasi regina: et si quis inter omnes bonos optimus est, hic honoratur, ipsiq; summa Reipub. administrandæ committitur. In his præterea duabus Rebuspub. optimæ vitæ ratio, quæ non solum ciuitates, verùm etiam ciues ipsos felices ac beatos efficit, exprimitur. Quidam optimam Reipub. formam esse putant, si fuerit ex tribus hominum generibus, ordinibusq; temperata et constituta: proptereaque Lacedæmoniorum Rempub. laudant, quòd ex optimatibus, id est Senatoribus erat composita: ex unius Imperio, Regibus scilicet: è populo, is enim in Ephoris consistebat, eo quòd ex populo eligebantur. Polybius Rempub. Romanam summis in cœlum effert laudibus, quòd ea quoq; conflata fuisset et compacta, ex Rege, Optimatibus, et populo; in hac Reges insolescere non poterant, metu populi; populus Reges despicere non audebat, propter Senatores. Quod genus Reipub. non sine ratione iustissimum fuit existimatum. Sicut enim in fidibus concentus, ex dissimilium vocum moderatione, concors efficitur: sic è summis, infimis, et mediis ordinibus, uti Cicero dicit, tanquam sonis, ubi harmonia est effecta, arctissimum atq; optimum est in Repub. vinculum, omnium incolumitatis. Optimam hanc quoq; nos Rempub. esse iudicamus, quæ primum ex bonis, ac virtute præstantibus ciuibus, tum ex tribus his hominum ordinibus, Rege, Senatoribus, et populo consistit. Regem quidem ut legibus astrictus et alligatus sit, idq; quod honestum est faciat, Senatus consiliis pareat, talem esse cupimus. Lex enim in omni Repub. summa ratio est, cui qui obtemperat, Deo paret, qui summa itidem est ratio. Senatores eodem modo viros summa virtute præditos esse volumus, qui sint inter Regem populumq; interiecti, quorum consiliis gubernetur Respub. vt salua sit semper et incolumis:

Quæ sit optima Respub.

Lacedæmoniorũ Respub.

Romana Respub.

Optima Respub.

Rex qualis esse debet.

Legi parere Deo obedire est

Senatorũ potestas.

horum poteſtas omnis et autoritas, in conſulendo, iudicando, imperando conſiſtat: illosq; Rex ut amicos et conſiliarios habeat, ac illorum virtute, conſilioq;, rebus in arduis utatur, et propter eos, multorum pedum, oculorum, manuum, rex dicatur. Quemadmodum diuini magis quàm humani eſt ingenii, Rempub. unius conſilio adminiſtrari poſſe, ita pluribus eius adminiſtrandæ curam ſuſcipientibus, vnumq; conficiendorum conſiliorum, negociorumq; Regem autorem, et confectorem habentibus, rectè omnia ſuccedere putanda ſunt. Qui enim de ſua vnius ſententia omnia gerit, ſuperbus magis eſt quàm ſapiens. Senatorum conſilia, utilia ſunt Reipub. ſi ab uno Rege conficiantur: inutilia uerò, ſi plurimos habeant confectores. Sicut qui multos ſeruos habet, ubi quid faciendum imperat, omnes currere, nihil tamen efficere videt, uni uerò negocium committens, uoti ſui compos eſſe ſolet: ita in Repub. accidit, multis poteſtatem regendi et conſilia Reipub. Senatusq; conficiendi habentibus, alteri enim alteros intuebuntur, remq; confecturos alios ſperantes, ipſi negligent, deſertoresq; negociorum, ac Reipub. munerum efficientur. Mala eſt multitudo regentium, ut dicitur, Rex unicus eſto.

Senatus utilitas. Sicut à corde caput, abſq; uitæ periculo ſeparari nequit, ita in Repub. regem à Senatu, nullo modo ſeparandum cenſemus: horum enim diſiunctione, diſſenſio in Repub. et omnium rerum confuſio, interitusq; ſequitur. Senatus autem in Repub. utilior eſt Rege, quòd conſilium præſtat tam ipſi, quàm Reipub. non minùs quàm hæc uitalis animæ pars: quæ in corde conſtituta eſt, uitam ſuppeditat illi, quæ rationis eſt particeps, et in capite locum posſidet. Rex etiam non minorem utilitatem exhibet Reipub. conſiliis Senatus, tanquam ſuis eam gubernans: imperat enim omnibus, quamuis eorum conſiliis utitur: non minùs ac ratio, quæ tametſi ſenſuum omnium ſeruitio, in conficiendis rebus uti ſolet, eſt tamen omnium præſtantisſima. Rex igitur conſilio Senatus obtemperans, melior et ſapientior fit omnibus; inſtructam enim et perfectam rationem gerit, diſciplina, conſiliisq; multorum. Hoc igitur modo Rex optimè gubernabit, non enim propria, quæ ſæpe diſtractum eum

reddere poteſt, ſed communi omnium ratione et conſilio res adminiſtrabit: eoq; modo perfectæ et abſolutæ rationis erit, quam qui habent, Dii inter homines eſſe putantur. Vt enim manus in digitos diuiſa, firmior ad res omnes prehendendas, et commodior eſt: ſic in adminiſtranda Repub. ſocios, adiutores, et conſiliarios adhibens, melius et prudentius gubernat. Non enim vnus aptus ad omnia eſſe poteſt: Alexander Macedo, parua manu maximas hoſtium copias fundebat: Pyrrhus metandis caſtris locum eligere ſciebat: Annibal vincere, at vti victoria neſciebat: Philopæmen ad nauale prælium: Cleon ad copias terreſtres ducendas, idonei putabantur. Orator Cicero, Pompeius Imperator, Cato Senator, Scipio præſtabat vtriſq;, ſic multi alii, in ſua quiſq; Roſcius arte eſt, vt dicitur. Ordinem popularem, in hac noſtra Repub. qui eius gubernandæ particeps ſit, talem eſſe volumus, qui è ciuibus genere, nobilitate, virtute præſtantibus conſtet: atque iis omnibus ad ſtatum optimatum proximè accedat: Senatorum enim et cæterorum magiſtratuum ſeminarium erit, eoq; ſolo diſtabunt inter ſe, quòd illi in magiſtratu conſtituti, ac ætate et dignitate prælati, cæteris præſtantiores et honoratiores fient; populus verò ſine magiſtratu, vitam aget ciuilem, et magiſtratibus obedientem. Neq;.n. popularem ordinem eſſe volumus, ex multitudine, agricolis, opificibus, cæteraque hominum colluuione conflatum; ſed ex ingenuis ciuibus et nobilibus, penes quos ſit poteſtas gubernandæ Reipub. poſita. Cùm enim de optima Repub. omnis noſtra eſt inſtituta oratio, ea verò ſit, in qua populus eſt felix, felicitas autem ex virtute proficiſcitur, neceſſe eſt, vt illa genus hominum ad virtutem, felicitatem, honeſtatem, natum et aptum habeat. Itaq; artifices, mercatores, ſeruos, à Repub. arcemus: vilis eſt enim eiuſmodi hominum vita, et virtuti aduerſa. Qui tametſi ad ciuilem ſocietatem tuendam vtiles ſunt, quoniam tamen artes, hominibus liberis minus dignas exercent, à Reipub. adminiſtratione prorſus arcendi ſunt. Ex quo Conſtantinus Imperator lege cauerat, ne quis ex negociatoribus, et infima plebe, magiſtratum gerere poſsit: non enim ciuitates neceſſariorum magis, quàm

Vnus homo nō eſt aptus ad omnia.

Ordo popularis.

Mercatores opifices & ſerui à Repub. arcendi.

Conſtātini edictū de ineūdis magiſtratibus.

quàm honestorum hominum causa constitutas esse, credendum est. Neque verò propterea contemnendi sunt, aut infima miseraq; conditione habendi; iniustum est, et ad concordiam ciuium efficiendam inutile, eos omni honore et præmio priuare velle, qui participes onerum sunt, et sine quibus Respub. nullo modo stare potest. Quare iusti ac illis conuenientes honores, tribuendi sunt, proponenda etiam virtutum præmia, vt quemadmodum inter nobiles et ingenuos, ita etiam inter hos, qui virtutis aliquod insigne specimen ediderint, honoribus afficiantur. Aristoteles, eiusq; doctor et magister Plato, sex ista enumerant, quibus omnis Respub. abundare debet, et sine quibus consistere nullo modo potest: inprimis quidem alimenta constituunt, quorum acquisitio, ad agricolas pastoresq; pertinet. Secundo, artes vitæ necessarias: hæc enim integumentis ad corpus, operibusq; cæteris indiget, quæ res opificum scientiam requirit. Tertio arma, tam enim ad propulsandos hostium impetus, quàm malorum temerarios ausus reprimendos, vtile est Reipub. paratos, et exercitatos habere milites, qui eam defendant, et pacatam liberamq; periculis incursionibusq; vicinorum hostium efficiant. Quarto pecuniam, ad vsus ciuiles et militares necessariam. Quinto rerum diuinarum administrationem. Sexto, iudicia et consilia: est enim necesse, vt optimis consiliis Respub. gubernetur, et iniustitia, vis, iniquitas hominum, in ea reprimatur, puniantur q; hi, qui cæteros iniuriis afficiunt, leges contemnunt, et iniustè viuunt. Ex his apparet, omnem Rempub. ex hominum sex constare generibus, Agricolis, Opificibus, Mercatoribus, Militibus, Sacerdotibus, et Iudicibus, vel Consultoribus. Itaq; tria relinquamus, nec ad Reipub. gubernationem admittamus, Agricolas, Mercatores, et Opifices. Hanc enim hominum turbam, ad opera Reipub. seruitiaq; natam et aptam, non ad gubernandum esse videmus. Liberum et ingenuum populum Respub. requirit, qui eam felicem reddat: quiete autem et liberali ocio, honestoq; labore opus est, ad felicitatem comparandam, et Rempub. gubernandam: quibus carere videmus, sordidis et illiberalibus deditos artibus. Duo itaq; hominum

Quibus Respub. abundare debet.

Quot hominum genera habeat Respub.

num

num genera, ad Rempub. restant accersenda, Milites et Consultores. Cùm enim in omni Repub. duo maximè tempora spectentur, pacis et belli, peræquum est eos, qui tam pace quàm bello Rempub. conseruaturi sunt, Ciues et Rectores eius solos esse ducendos. In bello armis, in pace consiliis, seruatur status Reipub. proinde penes Milites et Consultores, eius tam conseruandæ, quàm regendæ, potestas reponi debet. Huic igitur ordini, quem popularem esse volumus, magistratus capiendos et eligendos, cæteraq; iura quæ ad libertatem et felicitatem ciuilem conseruandam pertinent tribuamus: non quidem pariter omnibus, sed pro cuiusq; virtute et dignitate singulis. Nam iuniores militiam obibunt, quòd sint viribus robustiores fortioresq;: seniores verò magistratus gerent, tanquàm sapientiores. Itaq; ex hac distributione officiorum, necesse erit illud euenire, quòd in omnibus Rebuspub. esse solet præstantissimum et sanctissimum, vt magistratus à senioribus et prudentioribus gerantur, sine ulla reliquorum iniuria: à quibus iuuenes ac imperiti remouentur, quòd nullum adhuc ob ætatem, rerum sunt vsum et experientiam consecuti.

quibus cō mittenda sit Reip.

Duo tēpora Reipu. pacis et belli.

Ordinis popularis officia.

In his quos enumerauimus hominum ordinibus, præstantissimus est, sacerdotum ordo, qui in diuinarum rerum administratione occupari solet. Eius dignitas apud antiquos, propter muneris et officii excellentiam, sanctissima fuit: nam in Aegypto, Regi non licebat sine sacerdotio imperare. Horum officium erat Diis pro salute populi sacrificia facere, et ab his bona, tam hominibus, quàm Reip. precari. Vnde cùm ab Atheniensibus damnatus esset Alcibiades, eoq; damnato statutum fuisset, vt sacerdotes vtriusq; sexus, eum execrarentur, id vna sacerdos facere recusauit, dicens se ad æquas preces, non iniquas precationes sacerdotem constitutam. Plato in Repub. sua, sacerdotis electionem, Deo committendam iubet, vt quod ipsi gratum esset, sorte fortunaue obtineat. Is verò qui in sortem coniiciendus erat, ante omnia excuti debebat, num integer, sanus, incolumis, ingenuus, nobilisq; ciuis fuisset: vtrum ex honesta domo, et parentibus bonis: si à cæde purus, et ab his vitiis, quæ rem diuinam impedirent, alienus. Nec

Sacerdotum ordo.

Sacerdotū officium.

Sorte Sacerdotē eligendum Plato uoluit.

diutius

diutius ſacerdotes vno anno, diuinum exercere uolebat cultum, nec minus quàm annos ſexaginta natos. Hæc et alia plurima, diuina quaſi mente prolata, de ſacerdotibus ſcripſit, ſapiens ille Plato: quem non ex Socratica, ſed Moſaica, omnia hauſiſſe diſciplina, credendum eſt. Sacerdotibus enim Aegyptiis, tradiderat ſeſe erudiendum, quorum diſciplinis ſuam adeò philoſophiam reſperſit, ut diuina ea omnia putentur, quæ ex ore Platonis emanarint.

Ariſtotelis ſententia de ſacerdotib.

Ariſtoteles diuinum hunc magiſtratum, à ciuili et politica ſeparat adminiſtratione, eumq; ciuibus emeritis gerendum permittit. Cùm enim à ciuibus Deum coli ius faſq; ſit, ciueſq; è duplici ordine, uti diximus, conſtent: (ex his ſcilicet, qui arma gerunt, et qui conſultant) ſatis apparet: neq; ſeruum, neq; artificem, neq; mercatorem, neq; alium quempiam ex officina ſordida, debere ſacerdotem eſſe, ſed uel militem, uel ciuilem uirum: ita tamen, ut matura ætate, et quaſi effœto corpore, ad ſacerdotium, reſque diuinas tractandas accedat. Aequum eſt enim eos, qui florente ſua ætate Reipub. diligentem et ſtrenuam operam nauarunt, ac in eius negociis quaſi defatigati delaſſatiq; ſunt, in cultu diuino reſpirare, et procurandis ſacris requieſcere. Talibus igitur curam ſacrorum committendam iubet. Sed Atheorum ſacerdotes omittamus, et philoſophos, quamuis non adeò impiè, alia tamen mente quàm nos Deos colentes prætereamus. Nos enim Deum, religionem, ſacerdotes, ueros habemus, ab illis ſanè in omnibus differentes. Quæ igitur ex Academia de illis ſunt dicta, propterea dicta ſunt, uti antiquæ religionis, diligens et ſyncerus cultus, nobis quoque non ignotus ſit. Ex quibus uerò, aut quomodo ſacerdotes in noſtra Repub. eligendi ſint, non eſt inſtitutum noſtrum dicere. Cæterum an Reipub. præficiendi ſint, dicendum uidetur.

Ex quibus ſacerdotes creari ſolebant.

Reipublicæ gubernatio ſacerdotib. eſt cõmittenda.

Satis apparet, eos ab illo bonorum omnium autore, et legislatore Chriſto Ieſu ſeruatore noſtræ ſalutis inſtitutos eſſe: qui dum ipſe ſacerdos, à primis et antiquis uſque temporibus, ſecundum leges Melchiſedechi fuiſſet, eiuſq; caput ipſe ordinis et fundamentum extitiſſet, ſanè effecit, ut ſacerdotum dignitate, nihil in cœlis ſanctius, nihil in terris diuinius, nihil in toto orbe excel-

lentius

ſentius habeatur. His enim iura, leges, iudiciaque diuina tractanda commiſit, illosq; ſuæ diuinitatis vicarios effecit. Vnde omnis benè inſtituta Reſpub. in adminiſtrando imperio ſacerdotes, aut principes, aut ſocios, ſibi putat iuſtum, utile, et neceſſarium aſciſcere. Nec id quidem immeritò. Quid enim præclarius, et ad Rempub. iuſtè ſanctèque adminiſtrandam, vtilius eſſe poteſt, quàm eos Reipub. præeſſe velle, qui ſapientiam, non ex Delphico templo depromptam, ſed ab illa cœleſti ſacraq; mente acceptam habent, eiusq; iuſtitutis, Rempub. omnem regere, conſeruare, ac piè, iuſtè, ſanctè, inſtituere ſciunt? Quos quidem, qui ex Rebuſpub. eiiciunt, aut iniuſti, rudes, imperiti, barbariq; ſunt, aut non noſtræ, id eſt Chriſtianæ Reipub. ciues, aut impuri, impiiq; religionis hoſtes cenſeri debent. Si enim omnis Reſpu. deorum cultu, et religione conſeruatur, iisq; virtutibus ſacerdotes maximè excellunt, iuſtè profectò, ſanctèq; facere ſunt illi putandi, qui hos Reipub. muneribus, muniisq; obeundis, ſocios ſibi aſciſcunt: vt amplisſimi ſanctisſimiq; ciues, Rempub. religiosè, et ſanctè gubernando, religionem ſapienter interpretando, corpus totum Reipub. ſanum, incolumeq; conſeruarent, quod Romanos, Aegyptios, Hæbreos, et alios multos feciſſe legimus. Quibus enim Deus ſalutem, et felicitatem hominum commiſit, quis ita vecors, amens, et inſanus erit, ut libertatem, bona, fortunas, domicilia, eiſdem gubernanda, non putet iuſtum, et neceſſarium committere?

Quæ ſit igitur optima Reſpub. quod vitæ genus, quos ciues habeat, ſatis à nobis (vt opinor) eſt demonſtratum: hæc ſi virtutis exercuerit officia, ſitq; bonis ita fortunæ cumulata, ut felicitate ſua ſe metiri queat, nihil illa diuinius, pulchrius, felicius, inueniri poſſe fatendum eſt. In cuius deſcriptione, ne nos induiſſe quis Platonicum exiſtimet ingenium, quodq; de eius Repub. hoc etiam de noſtra dicat: nullam talem, nec eſſe, nec unquam fuiſſe, fierique poſſe: neceſſarium videtur, talium Rerumpub. exempla proponere. Etſi enim à Philoſophorum ratione nihil recedamus, tamen eos ſibi quandoq; nimium indulgentes, ad ingeniaq; (vt eorum mos eſt) ſua ſe magis, quàm aliorum accommo-

dantes, non audimus: plurima enim in eorum libris et sermonibus inueniuntur, quæ ad præsentium temporum, atq; ad hunc usum ciuilem et popularem, neutiquam possunt accommodari. Nam Platonis Rempub. frustrà nunc aut Venetis, aut Heluetiis, aut Lyguribus, et aliis imitandam proposueris. Xenophontis Cyrus, paruam fortassis in Regibus nostris erudiendis nauarit operam: taceo reliquos. Nostra omnis scribendi ratio, quasi in medio posita, communi quodam in usu, atq; in hominum more uersatur, et propterea coniungendam historiam philosophiæ putauimus. Nostræ igitur uel optimæ Reipub. imago, in ueteri Atheniensium Monarchia, fuit expressa. Hi enim dispersi, ac per agros pecudum more palantes, primum à Cecrope, deinde à Theseo rege, in ciuitatem sunt coacti: quorum primus vrbe Cecropia condita, quæ postea Athenæ sunt dictæ, regnum instituit, ac posteris quasi per manus tradidit. Senatus qui optimates repræsentasset, qualis tum Regibus fuerit, in tanta temporum antiquitate, scriptorumq; penuria, scire non possumus. Credendum tamen est, uiros eos habuisse prudentes, quorum consiliis in regenda Repub. vtebantur. Agebant enim cum populo Reges, ut Thucydides est testis, eiusq; suffragiis multa sanciebant, dubia de rebus aliquibus, et inexplicata consilia habentes. Sed status hic Reipub. non diù durauit, mutatus est enim, deuenitq; Respub. temporum uarietate res omnes permutante, ad genus hominum vile, et sordidum, quod per vim et potentiam, Reipub. gubernationem sibi arrogauit. Lacedæmoniorum uti paulò antè diximus Respub. tres itidem gubernandi species habuit, Reges, Optimates, et populum. Quid dicam de Romanis, nonnè aurea uocari possunt illa secula, quibus Reges dominabantur? Romulus uti Liuius scribit, Deorum populique uoluntate Rex electus, rudimenta illa regni, tenuia primùm et exigua, solus administrare recusauit, sed imperandi socios, sibi Senatores centum asciuit, quos uel ab ætate, vel uirtute, qua cæteris præstabant, patres uocauit. Et ne populus honoribus patriæ fraudatus uideretur, neuè odia tam in Regem, quàm Senatores gereret, magistratus illis minores tenendos concessit,

Platonis Respub.

Pędia Cyri.

Atheniensium Monarchia.

Lacedæmoniorũ Respub.

Romanorũ Monarchia.

cessit, iudicia attribuit, de bello et pace decernendi potestatem dedit, et alia multa. Atq; vtinam durasset is Romanæ Reipub.status, næ illi non opus habuissent, tantùm sanguinis, pro libertate acquirenda, imperioq; propagando effundere, illa etiam Reipub. felicitas, non seditionibus tantis distraheretur, propter quas, nullo ferè tempore respirare potuit. Sed ad præsentia nostraq; tempora conferamus orationem. Ac primùm uidemus, imperium Germaniæ, ex Imperatore, ducibus, tanquam Optimatibus, et Populo constare. Hoc quia à multis Tetrarchis administratur, propterea eius politiam, in uarias gubernationes distractam, longum est describere. Gallorum Monarchia, Regem habet pro arbitrio suo omnia administrantem, et licet legibus solutus sit, contrà leges tamen, ac honesti iustique officium, nihil agit, sed ad exemplum optimi Regis se totum componere solet. Statum optimatum apud eos repræsentant Palatini, lingua eorum uocati Pares, qui cum Rege de Reipub. commodis tractare consueuerunt: hos Budæus Patricios, quasi Reipub. patres nominat. Populus in tres ordines distinctus est, in nobiles, sacerdotes, et plebem, quorum delectus, à Rege in comitia euocatus, cum eodem de summa Reipub.decernit. Horum consilium Panceltium appellatur, non secus ac apud Aetolos, uti scribit Liuius, Panætolium, vel Pylaicum; velut etiam vniuersæ Ioniæ concilium, Panionium dicitur. In Hispania, Rex summæ potestatis est, concilium Regale, Optimates denotat, ordines tres, statum popularem. Est autem ordinum, vt illi vocant, primus, S. Iacobi, secundus Calatrauensis, tertius Alcantarensis: qui vnà cum Rege coniuncti de summa Reipub. pertractant. Polonorum Monarchia, ex tribus Reipub. formis est constituta, ex Rege, Optimatibus, et populo. Populi vero nomine, ipsi tantum nobiles vel Equites comprænhenduntur. Est autem in eorum Repub.summa ordinum consociatio, adeò vt Rex sine Senatus consilio et autoritate, de Reipub. summa nihil ipse decernere possit, Senatus nihil absq; Rege et nobilibus. Itaq; apud eos leges plurimum valent, pro hisq; custodiendis, seruandis, retinendis, se religione iusiurandi obstringunt, adeò vt nefas

Imperiũ Germaniæ.

Gallorũ Monarchia.

Hispanorũ Monarchia.

Polonorũ Monarchia.

et impium existiment, aliquid contrà leges moliri. Sacramentum, quo se inuicem pro legibus seruandis, libertateq; tuenda obligant, captur sua lingua vocant, latine capitis tegmen dixeris: quemadmodum enim hic caput à frigore et tempestate contegit, ita libertas, leges, salus hoc illorum sacramento tecta et salua esse putatur: pro his enim asserendis, nemo bonus contrà Tyrannos, et publicæ libertatis felicitatisq; violatores, uitam dubitat vnquàm effundere. Itaq; populus hic liber est, eamque veram libertatem esse putat, secundùm leges viuere, nihil contrà eas, et facere, et cogitare. Rex ad leges omnia præscriptas administrat, neque voluntate sua, sed Senatus consilio, leges sancit, bella suscipit, componit, terminat, nec extrà cancellos legum, et Senatus consilium egreditur. Quæ res efficit, ut apud eos Regis persona, non modò sit in autoritate summa et existimatione, sed etiam in cultu et obseruantia: nec id quidem immeritò. Quis enim non colendum, honorandum, obseruandum, amandum vehementer eum Regem velit, cui in administranda Repub. ea demum voluntas est, quam lex, quasi summa ratio præscribit: hoc consilium, quod Senatus grauitas et sapientia comprobat; hæc autoritas, quam consensus ordinum, amor et beneuolentia ciuium efficit? Atq; (vt breuiter dicam,) talem apud Polonos Regem esse, qualem Plato, Aristoteles, Xenophon, et omnis philosophorum, legislatorumvè grex in optima quaq; Repub. effingit, qualemuè natura, et Deus ipse uidetur exposcere. Senatus apud eos Optimatum Rempub. repræsentat, qui (uti iam dixi,) autoritate est summa præditus, et ex prudentioribus grauioribusq; nobilitate uiris eligitur: isti cùm Rege, de statu Reipub. benè administrando consilia ineunt, talesq; sunt, quales apud Persas Homotimi, vel apud Lacedæmonios Ephori. Popularem statum repræsentat equestris, siue nobilium ordo, penes quem consiliorum Reipub. pars est quoq; reposita. estq; hic Regum et Senatus seminarium. Britanniæ regnum, quæ Anglia nunc dicitur, Regi paret, Senatum quindecimvirum habet, et popularem ordinem: qui cùm illis duobus coniunctus, concilium commune, quòd illi parlamentum appellant, efficiunt

[Margin notes: Regis Polonorum officia. — Regis Polonorum summa autoritas. — Rex Polonorũ qualis. — Senatus Polonorũ — Popularis status Polonorũ ex quibus cõstat. — Angliæ regnum.]

ciunt. Venetorum Respub. ad eandem quoq; formam esse constituta uidetur. Populi vel ciuium nomine, nobiles et ingenui tantùm continentur, magnaq; cautio apud eos adhibetur, ne falso nomine quis in nobilium et ingenuorum ciuium subrepat numerum, solis nobilibus ad Rempub. et magistratus obtinendos patet aditus. Ex his Senatus, Optimatum Rempub. efficit, qui totius Reipub. gubernandæ caput est, et fundamentum. Dux quoq; ex eorum electus numero, Regis similitudinem obtinet. Nulla profectò nec Respub. nec Monarchia, vti hæc, tam diuturno et pacato est usa imperio: siue autem hoc voluntate Deorum, siue fatorum clementia, siue legum et iustitiæ obseruatione fiat, siue loci, in quo sita est, natura et fortitudine, quæ illis homibus omnem planè cogitandi de seditionibus et interitu patriæ occasionem præcidit, non est huius loci, nec temporis disputatio. Sed de optimarum Rerumpub. exemplis dixisse sufficiat. Quas quidem felices et optimas quæ potissimum res efficiant, dicendum est.

Venetorũ Respub.

Causæ durantis Reipub. Venetæ.

Tria in omni Repub. felici et optima, maximè requiruntur, magistratus, leges, et ciuilis disciplina; sine his enim nulla vnquàm ciuitas, et hominum societas rectè conseruari potest. Magistratus hoc est officium, ut præsit, præscribatq; ciuibus, ea quæ sunt recta, et utilia, legibusq; et rationi consentanea. Non minus doctè quàm eleganter Cicero dicit, vt magistratibus leges, ita populo præesse magistratum, vereque dici posse, magistratum legem esse loquentem, legem autem, mutum magistratum. Hic igitur in omnib. Rebusp. valde est necessarius. sine magistratus prudentia, consilio, fide, sapientia, nulla unquam Respub. stare gubernariq; potest: ex quo etiam status omnis, et ordo Reipub. qualis sit cognoscitur. Quemadmodum nauis, cum mare cæpit inhorrescere, fluctuare solet, summergiq; nisi nautarum opera, et industria seruetur. ita Respub. quæ in alto tempestatum, seditionum, motuum, discordiarum fluitat: si non magistratus diligentia prudentiaque adiuuetur, tanquam fluctus saxo, sic illa malis frangitur. Perinde vt corpus nostrum ab animo, hic rursus à mente, rationeq; regitur: eodem modo, corpus omne ciuitatis societatisque,

Tria in oĩ Repub. requiruntur

Magistratus officiũ et necessitas in Repub.

humanæ

Lex anima Reipu.

humanæ, necesse est, habeat animam, hoc est legem ipsam, à qua honestè rectéq; viuendi modum recipiat: quæ lex à mente rationeq;, hoc est uiri prudentis et sapientis consilio, proficisci debet. Vbi enim leges nullæ, magistratusque sunt, ibi nec Deos, nec homines esse, nec ciuitatem ullo modo fieri posse, credendum est. Vera ratio lex hominis est, quam sapiens a se ipso, populus uerò à magistratibus, tabulisùe accipit, non minùs ea fugienda exstimans, quæ scriptis legibus, quàm quæ ratione prohibentur. Qui igitur sapientia et prudentia cæteris præstant, et aurea argenteaùe illa, de qua suprà diximus, natura sunt præditi, quòd melius de societate humana mereri possunt, Reipub. præficiendi sunt: eorum enim consiliis ciuitates, tanquam muris firmatæ munitæque, et hostium impetum depellent, et pericula propulsabunt, et uita quieta, beataque fruentur. Quare inprimis necesse est, vt virtutibus ad felicitatem Reipub. efficiendam idoneis, præditi sint: tum vt eum, in quo sunt, ciuitatis statum diligant; eoq; contenti, nihil moliantur, quod nouum, illique contrarium videatur: tertio ut à populo datam potestatem habeant ea faciendi, quæ Reipub. profutura putabunt: sic enim et illi maiori cum dignitate et fructu imperaturi sunt, et ciues eorum melius imperio obsequentur. Arte sanè permagna, summaque sapientia opus habet is, qui magistratum locumque principem in Repub. cum dignitate, vult obtinere. Ipsi enim non una domus, non familia, non coniunx, non liberi, sed Respub. voluntatum, animorum, cogitationum uarietate distracta gubernanda est, in vnumq; concentum et concordiam redigenda, ut similis et æqualis maximè existat.

Magistratus quæ debeat habere.

In magistratu sũma prudẽtia requiritur.

Quoniam autem in Repub. tres sunt magistratuum gradus, quorum Rex summum, medium Senatus; ultimum verò populus amplectitur, qui ex his maiorem vtilitatem Reipub. possunt adferre videndum est. Regis quidem in Repub. magna virtus, summa sapientia, planeq; diuina prudentia perspici solet: ut enim Deus mundi, ita hic totius Reipub. princeps est, et dominus. Hunc propterea iustè et sanctè gubernare decet, quòd Deorum in Repub. regenda vicarius esse iudicatur. Ex quo Regis consilium, pruden-

Magistratuum qui sint vtiliores in Repub.

Regis officium.

prudentia, ſapientia, non eſt tam eius propria, quàm deorum, qui eam pectori eius infuderunt. Cæterum quoniam vnus totam Rempub. pari cum prudentia et diligentia, gubernare nequit: Dei enim potius quàm hominis vnius eſt, omnia exactè, quæ ad imperium iuſtè gubernandum pertinent cognoſcere: eam ob cauſam, Reſpub. Regi uiros prudentes adhibere ſolet, ut illis adiutoribus, eam melius adminiſtret. Hi quoniam medii inter Regem et populum ſunt, ac vna ex parte Regis officium, ex altera verò mores et leges populi cognoſcunt, facilè quæ ad Regis munus et dignitatem tuendam pertinent, quæ item ad populi Reiq; publicæ vtilitatem conſeruandam ſpectant, perſpicere poſſunt. Quare medium hunc magiſtratum, qui Optimates et Senatores dicuntur, maiores fructus cæteris aliis, Reipub. adferre poſſe iudicamus. Vt enim Rex, quoniam ſolus eſt, omnia perſpicere nequit, et ſæpius contingit, vt vel cupiditatibus concedat, vel affectionibus à vera ratione abducatur: multitudo etiam imperita, et ſine mente capiteq;, vt dicitur, exiſtens, talem prudentiam habere nullo modo poteſt: ita Senatus è numero virorum virtute, ſapientia, rerumq; geſtarum gloria præſtantium conflatus, longè facilius, è medio hoc loco, quaſi aliqua ſpecula, Reipub. ſaluti prouidere, commodis proſpicere, eamq; ſeditionibus, tumultibus, periculis vacuam efficere poteſt. Vnde nulla ferè Reſpub. eſt, quæ non Senatui, vel omnem, vel aliquam, eamq; non leuem gubernandi partem, committere ſoleat. Etſi enim illi, qui primùm homines per agros et tecta ſylueſtria diſperſos, in ciuitates conuocarunt, Reges vocabantur, hiq; ſoli temporibus illis imperabant: tamen non diù rudimenta nouorum imperiorum, ſoli tenere potuerunt: neque enim hominum ingeniis pubeſcentibus, et nouis humanitatis artibus aſueſcentibus, priſtinamq; feritatem exuentibus, vnius Regis autoritas, et prudentia ſufficere potuit. Itaque neceſſe fuit Regibus, ſocios ſibi ad imperandum aſciſcere, vt communi conſilio prudentiaq; cum his, Rempub. melius gubernarent. Id Romulum feciſſe legimus, qui vnius imperium, aut odioſum, aut periculoſum, aut iuſto imperio, nullo modo dignum exiſtimans,

Senatorū vtilitas in Repub.

Multitudo ſine mēte et capite.

Senatorū origo.

Senatores cur patres dicti.

existimans, centum patres legit, eosq; tam ab ætate, quàm sapientia, Senatores patresque vocauit. Hoc idem fecit Theopompus Spartanorum Rex: Ephoros enim instituens, illisq; magnam partem Regni adiungens, summamq; autoritatem gubernandi concedens, ab vxore repræhensus, quòd filiis regnum angustius relinqueret: latius respondit, amplius atque firmius se relinquere; consilio enim et autoritate Senatus, illud firmissimum et amplissimum fore putabat. Vnde apparet, Senatorum ordinem, Regibus ab antiquis vsque temporibus fuisse coniunctum, eumq; ita ab omnibus Rebuspub. amplexum, ut nihil in Repub. constitui posse tam firmum crederent omnes, quod non Senatorum consilio, prudentiaq; vallatum extitisset. Senatum autem appello, summum in Repub. magistratum ad consilia danda, et Rempub. gubernandam institutum: ex quo etiam et Senator dicendus est ciuis legitimè constitutus in eo ordine, qui est ad gubernandam Remp. consiliaq; danda destinatus. Vnde efficiendum est semper, vt is ordo è prudentioribus, sapientioribus, nobilioribusq; ciuibus instituatur: nulla enim Respub. et hominum societas adeò barbara est, quæ non talibus imperium committere malit, hisq; parere rectius et honestius existimet. Inter omnes autem ciues, nemo tam prudens, nemo tam perfecta et absoluta uirtute potest esse, quàm Senator: cæteros enim vel ætas, vel incerta vitæ ratio, vel inconstantia ab optimo genere uiuendi, retrahere consueuit: at Senatorem non ulla conturbat affectio, non abducit appetitus, non distrahit ætas, sed ratio gubernat, consilium moderatur, senectus perficit. Qui etiam propter ingenii, rationis, consilii, sententiæ, iudiciiq; quasi senium et maturitatem, Senator dicitur, quasi in eo iuueniles impetus omnes, ardoresq; consenuissent, ac adoleuisset illa ratio, quæ dum est suam in homine maturitatem et perfectionem adepta, similem eum Diis efficere solet. Quemadmodum in omni re, vt Philosophi perhibent, tria reperiuntur, maius, minus, et æquale: id autem æquale, medium dicitur, quod in se perfectionem cuiusq; rei continet: ita Senator, quoniam medius inter Regem et populum est, facilius ex eo loco, perfectionem cuiusq; rei inuestigare

Senatus quid?

Senator quid?

Senatus ex quibus instituide beat.

Senatorũ prudentia nihil est perfectius

Senator vnde dicatur.

ſtigare poteſt; et quæ Regis, quæ populi, quæ Reipub. munera ſint, quæ ſingulorum libertas, leges, et officia perſpicere, ex eaq; media quaſi ſpecula prӕuidere, ne ad ἀναρχίαν hoc eſt imperii uacuitatem, populus ex immoderata licentia, ne item ad Tyrannidem Regalis dominatio declinet. Magna in Senatore ſapientia, ſumma prudentia, plurima rerum cognitio requiritur: ſe enim exhibere omnibus quieſcentibus vnum, pro quibus noctes et dies inuigiles, quorum pro ſalute ſis ſolicitus, quos felices, beatos, tranquillos, rebusq; omnibus affluentes eſſe velis, diuini aut ſuprà naturam numanam maximi eſt ingenii. Præclarè Scipio apud Ciceronem: vt, inquit, gubernatori curſus ſecundus, medico ſalus, imperatori uictoria: ſic huic moderatori Reipub. beata ciuium vita, propoſita eſt, ut opibus firma, copiis locuples, gloria ampla, virtute honeſta eſſe poſſit, huius operis maximi inter homines atq; optimi, illum eſſe perfectorem vult. Quæ igitur tantæ, tamq; amplæ ſapientiæ fundamenta, quæ exercitationes et incunabula, Senatoriæ virtutis doctrinæq; debeant eſſe, dicendum eſt. His enim primùm indagatis, facilior quaſi per gradus ad ampliores illas, et excelſiores illius virtutes inueſtigandas, patebit aſcenſus.

Officia Senatoris.

In Senatore ſumma prudentia requirit.

Senatori uita beata ciuium eſt propoſita.

Quandoquidem omnis Reipub. fundamentum, et origo, ciuis eſt, primùm omnium Senatorem noſtrum, ciuem quoque Reipub. vel eius ciuitatis eſſe volumus, cui gubernandæ præficiendus erit. Hac conditione ſibi eum patria obſtringit et obligat: vnde pro eius incolumitate ſaluteq;, non optimè modo ſentire, ſed uitam ipſam etiam effundere, pulchrum, honeſtum, neceſſarium iudicabit. Omnes enim omnium rerum charitates, vnius amor patriæ ſuperat. Quomodo hic patriam non amauerit, à qua parentes, liberos, propinquos, amicos accepit, quæ uitam illi, quæ nomen, quæ gloriam tribuit, quæ omnia hæc, quibus vtitur, quibus ſe oblectat, quæ iucundiſsima cernit, ſponte non inuita obtruſit: quæ ad extremùm illum in altiſsima dignitatis arce laudandum, admirandum, uenerandum conſtituit? Natura profectò tam altos firmosq;, hominibus igniculos inſeruit amoris in patriam, vt pro ea nunquam quiſquam

Fundamentum Reipu. Ciuis eſt.

Cur ciuis tantùm in Senatorē eligi debeat.

Amor patriæ.

bonus ciuis, mortem quando ſit opus dubitauerit oppetere. Quin et impios ciues in patriam, multos inuentos fuiſſe legimus, qui, dum funeſto patriam exitio voluiſſent afficere, ſola natalis ſoli dulcedine perterriti, impias ab ea manus temperauere. Quid Veturia Martium filium, Romam cum exercitu venientem, nonnè natalis lariſque paterni commemoratione remolliuit? impium eum appellans, ac audentem populari terram, quæ illum genuit atq; aluit, oblitum intra mænia, domum, penates, matrem, coniugem eſſe liberoſq;. Summus amor Veturiæ tum in patriam erat. Sed eo non minor pietas Martii, patriæ parcentis, quæ in eum ob plebis tribunorumq; furorem hoſtiles eo tempore ſpiritus in patricios gerentem, ingrata extiterat. Sertorius etiam, uti Plutarchus ſcribit, Pompeium Metellumq; rogauit, vt illorum interuentu Romam redire poſſet, malle ſe dicens Romæ obſcuriſſimum ciuem, quàm exulem in aliis ciuitatibus, Imperatorem vocari; veriſſimè ſanè Naſo Poeta cecinit.

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit, & immemores non ſinit eſſe ſui.

Magnum eſt vinculum animi noſtri patria, quæ noſtra omnia, noſque ſuo amore velut oppignoratos habet. Pytagoràs referente Platône aliquando interrogatus, quomodo erga patriam ingratam ſe gerere oporteat, vt ergà matrem reſpondit: omnia enim patriæ condonanda ſunt, nec ullus dolor tanti ducendus, quem non amor in eam mollire et minuere debeat. Ciuis igitur patriæ ſuæ ſit Senator, nulli unquam externo, peregrino, aduenæ in ea poſtponendus; horum enim conſilia, non modò ſuſpecta, ſed pernicioſa, peſtiferaq; Reipub. iudicanda ſunt. Eam ob cauſam Athenienſes, peregrinos, et alienarum ciuitatum homines, non modò conſiliis non adhibebant, ſed procul etiam arcebant urbe, ne fides peregrina aliquo modo in magiſtratum irreperet, ac eorum animos ad res nouas appetendas induceret: ex quo legum, morum, conſuetudinum mutationes, ſeditioneſq; orirentur. Id quoq; Venetos temporibus noſtris diligenter obſeruare uidemus; magna enim cautio adhibetur, ne falſo titulo quis apud eos, in horum ciuium

Peregrini inRepub. ſuſpecti.

Athenis peregrini excludebantur.

numerum

numerum subrepat, qui regendæ Reipub. potestatem habent: à qua peregrini aduentitiiq; penitus excluduntur. Cæterum, qui ciuium nomine uocari debeant operæ precium forta sfis est vt dicamus.

Varia est tam apud Philosophos et legislatores, quàm in omnibus Rebuspub. ciuis definitio. Quidam omnem hominum in vna ciuitate congregationem, ciuium nomine appellant; quidam eos tantummodò, qui sunt ingenuis et nobilibus oriundi ciuibus: aliqui censent eos ciues uocari, qui altero tantùm parente ciue ingenuò nati sunt; nonnulli originem eius, ad auos proauosùe deducunt. Peregrinos prætereà, in societatem receptos, ciuitateq; donatos, ciues uocari putant. Aristoteles nomine ciuium eos appellat, qui magistratus gerendi ius in ciuitate habent, et ex liberis ingenuisque sunt orti parentibus. Horum omnium sententias, nemo certè iure reprehendere potest: cùm enim ciuem cuiusq: ciuitatis et Reipub. ius consuetudoq ue faciat, omnino mirandum non est, cur uariè multi de ciuium ratione sensissent, ad suæ Reipub. mores et consuetudines sese accommodantes. In Repub. populari, ciues solent dici communiter omnes illi, qui ciuitatem incolunt: nec refert pauperes an diuites, boni an mali, docti an sapientes, serui modò non fuerint: omnibus æquè ad Rempub. patet aditus, æquales.n. sunt pariter omnes. Tales quondam fuere ciues Athenienses, dum populari uterentur imperio, nostris verò temporibus sunt Heluetii. Plurimæ quoq; ciuitates in Germania sunt, quæ liberæ vocantur, quarum incolæ populariter viuunt, segregati ab ingenuis et nobilibus ciuibus. In Monarchia & Aristocratia ciues illi dicuntur, qui vitam uirtuti conuenientem uiuunt: in illa multi boni, & virtute præditi, Reipub. munia obeunt: in hac vnus omnium optimus, qui etiam à regendo, vel rectè agendo Rex appellatur. Qui ex hominibus natura vel serui sunt, vel improbi, hi Despotico subiiciuntur imperio. Δεσπότης autem ille est, qui subditis tanquam seruis, ad voluntatem & arbitrium imperat: tale genus ciuium seruile est & barbarum, ac ad virtutem iustitiamq; colendam ineptum. Pro seruis verò habendi non sunt, qui non vitiis causaq; sua, sed Tyrannorum

Quid ciuis.

Variæ ciuium definitiones

Ciuē qd efficiat.

In Repu. populari qui ciues dicantur.

In Monarchia & Aristocratia qui ciues dicantur.

Rex unde dicatur.

Despotico q subiiciūtur imperio.

sunt oppressi potentia, ambitione, auaritia. Multos legimus ab huiusmodi seruitute, & se, & patriam, occisis vel expulsis Tyrannis uindicasse, vel si hoc efficere non poterant, vita, quàm libertate, carere maluisse: uti Romæ, Bruti, Catones & alii mnlti. In Oligarchia, quòd diuitiarum potissimum habetur ratio, soli, qui diuitiis excellunt, ciues dici & haberi volunt, quod genus ciuium, vile iudicandum est: his enim virtus paruæ curæ est, nihilq; magis student, quàm vt se diuites quoquo modo faciant, atque dignitates honoresque Reipub. non boni & prudentes, sed diuites obtineant. Apud Romanos varia erant genera ciuium, nam alii erant municipes, alii coloni, alii Latini: sic enim retinebant conditionem ciuium quæq; ciuitates, uti in amicitiam populi Romani suscipiebantur: hæ autem erant uel liberæ, vel fœderatæ, vel stipendiariæ. Fiebant autem ciues, uel pleno iure, hoc est cum suffragio, dum illis patebat ad omnes Reipub. dignitates obtinendas aditus: uel iure honorario, quando sola ciuitas, sine suffragio dabatur, & honoris causa ciues vocabantur, uti de Campanis, Equitibus, scribit Liuius, & de Ceritibus, Aulus Gellius. Erat autem Romanus ciuis, qui in tabulas Censorias referebatur, domiciliumque Romæ habebat. Ex his, quæ diximus, apparet, in omnibus Rebuspub. eos propriè ciues vocari, qui ius & potestatem habent, in sua ciuitate magistratus gerendi, vel sententiæ dicendæ: Cæteros, qui eo iure carent, non tam ciues quàm incolas, & clientes appellari. Reliqua, quæ ad ciuis perfectionem requiri solent, vti sunt virtus, natales, diuitiæ, nobilitas, pro cuiusq; Reipub. consuetudine & iure debent obseruari. Nos ex omnibus his, duo genera ciuium facimus, vnum nobilium, alterum plebeiorum: omnis enim Respub. ex populo & plebe consistit. Populi nomine vt Caius Iurisconsultus scribit, omnes ciues includuntur, connumeratis etiam patritiis, nobilibus, & Senatoribus: plebis verò appellatione, reliqui ciues in Repub. continentur. Vnde nobiles illi ciues propriè vocari debent, hi autem quadam imitatione & similitudine. Senator igitur noster, ex eo numero sit ciuium, qui sunt nobiles & ingenui. Nobilis ciuis ab ea nobilitate dicitur, quæ à virtute ortum habet.

In Oligarchia q ciues.

Romanorũ ciuium differẽtia.

Ciues cũ suffragio, & honorarii.

Romanus ciuis qui.

Ciues nobiles & plebei.

bet, hæc autem partim propria, partim maiorum virtute diuitiisq; ornatur & cumulatur. Qui tam sua, quàm maiorum uirtute nobilitantur, hi cæteris sunt præferendi, magisq; honorandi & obseruandi, quòd meliores ex melioribus procreari solent, uerè enim Poeta Lyricus scribit.

Senator nobilis ciuis esse debet.

Nobilis ciuis vnde dicatur.

Fortes fortibus creantur & bonis,
Est in iumentis, est in equis patrum
Virtus, nec imbellem feroces,
Progenerant aquilæ columbam.

Ad nobiles & generosos ciues efficiundos, uti Aristoteles scribit, tria hæc potissimum concurrunt, genus, diuitiæ, & uirtus. Qui hæc omnia possident, illis nihil ad perfectam & ueram nobilitatem deest: talesq; optimi & nobilissimi ciues appellari solent. Sed quoniam id raró accidit, ut hæc unus habere possit, propterea iure quodam bono, uirtus id sibi arrogauit, ut sola possessores suos nobiles efficiat. Diuitiæ maiorumq; claritas, sicut ornant nobilitatem, ita uehementer deturpant, si quis ab eorum uirtutibus desciscat. Tales enim maiorum suorum nomen obscurant, ac infame reddunt: adeò ut si etiam clari fuissent, posteritatis suæ uitiis, obscurissimi reddantur. Satius est autem uti Tullius pulchrè, propria uirtute rebusq; gestis florere, quàm maiorum opinione niti, & ita uiuere, ut posteris sis nobilitatis initium, & uirtutis exemplum. Qui claris orti sunt parentibus, laudandi meritò sunt & honorandi, si maiorum uirtutes, gloriam, & res præclarè gestas, aut superare, aut certè exæquare contendunt. Quis enim eos id facientes, non uehementer laudet, qui hac ratione in maiores suos se gratos declarant, illorum memoriam, nec obliuione præsentium, nec reticentia posteriorum sepelientes? Rhodiensium lex uituperanda non est, quæ filios à uirtutibus patrum desciscentes, & uitam sceleratam agentes, hæreditate excludebat, & omnium optimo hæreditatem dabat, malum neminem ad eam admittebat. Est enim fidei pietatisq; nostræ, declarare posteritati hominum, quàm memores simus, quàmq; grati in auos maioresque nostros, quorum hæredes, non facultatum modò extitimus, sed etiam uirtutis, gloriæ, fidei, religionis, quæ ueræ facultates,

Perfectã ciuẽ tria faciunt.

Nobilitas ex virtute.

Nobilitas generis.

Rhodiensiũ lex de filiorũ successione.

tates, uera hæreditas, ueraque bona sunt appellanda. Non facit nobilem atrium plenum fumosis imaginibus, sed uirtus, pulchrè Iuuenalis:

Tota licet veteres exornent undique ceræ.
Atria, nobilitas sola est, atque vnica uirtus.

Hæc è quacunq; conditione suprà fortunam se extollit, omnibus patet, neminem reiicit, singulos peræquè amplectitur. Cleantes aquam traxit, Platonem virtus non accepit nobilem, sed fecit: multos ex seruis Reges ortos esse, plurimos ex regibus seruos commemorare possumus: omnia ista longa varietas permiscet, & sursùm deorsumq; fortuna versat. Quid Agatocles nonnè ex figulo Rex factus? quid Romulus, quid Tullus Hostilius, Tarquinius Priscus, & omnis Romanorum progenies? de hac Iuuenalis.

Platonis nobilitas.

Agatocles

Romulus

Et tamen ut longè repetas, longèque reuoluas.
Nomen ab infami gentem deducis Asylo

Romanorũ origo infamis.

Quis ergo generosus? ad virtutem à natura factus. Quod si quid est in nobilitate bonum, id vt Boetius putat, est solum, vt imposita nobilibus necessitas videatur, nè à maiorum virtutibus, degenerent. Quemadmodum virtutum, actionumq; nostrarum variæ sunt exercitationes, sic diuersi sunt ex virtute nobilitatis gradus. Priuatorum nobilitas, & eorum, qui virtutes ociosas exercent, philosophica dici solet: ciuilis autem eorum, qui vel ex Reipub. negociis rectè administrandis gloriam quærunt, vel in bellis pro patria suscipiendis fortes & magnanimos se exhibent; hos nobilitat virtus, acies, & vulnera pro patriæ salute suscepta. Eius nobilitatis magna vis est, ad posteros enim vsque, ius suum, imagines, stemmata, quasi cum cicatricibus & uulneribus transmittit, quibus excitamur ad maiorum nostrorum uirtutes imitandas, & illustrandas. Ex quo in Stemmate nihil aliud, quàm ius nobilitatis referimus: est enim hoc simulacrum & monumentum, antiquæ uirtutis & dignitatis, quo uelut pignore ad honestè uiuendum, & actiones patrum nostrorum æmulandas obligamur. Sicut in omni Repub. duo tempora, pacis & belli, ita duplex nobilium ciuium est genus. Vnum ad bella, ad pacem alterum aptum: primi fines Reipub. armis, vel propagant, vel defendunt, secundi,

Quis generosus.

Nobilitas philosophica et ciuilis.

Stemmata unde.

Stemma quid?

Duplex genus nobilium ciuium.

secundi, consilio prudentiaq; gubernant. Vtriq; sanè consociati debent inuicem esse, vt maiores Reipub. fructus adferre possint. Nam & consulto ubi facturus sis aliquid, & facto ubi consulueris opus est, ut dicitur. Qui ex ciuibus Rempub. pacis tempore, prudenter administrant, eamque pacatam, tranquillam, felicem efficiunt, priores habendi sunt his, qui eam armis vel defendunt, uel amplificant. Vt enim anima corpori, pax bello, otium militiæ præfertur: sic illos his utiliores esse fatendum est. Homerus inducit Agamemnonem dicentem, longè facilius se potuisse Troiam euertere, si decem Nestores, aut Vlysses habuisset, quàm si totidem Aiaces, uel Achilles, fortissimè dimicantes. Pyrrhus præterea, plures Cyneam eloquentiam cepisse urbes, quàm se armis dicere solebat. Qui uerò utrumque Reipub. præstant, & tam pacis, quàm belli artibus, Rem p. iuuare possunt, hi meritò, iureq; optimo cæteris sunt anteferendi, magisq; honorandi & uenerandi: quo quis enim plus uirtutis habet, eo dignior & honoratior habendus est. Volumus autem in hac Repub. uti futurus Senator, & bonus ciuis, & idem uir quoq; bonus sit. Diuersa est enim uiri boni, & boni ciuis uirtus: ille uirtutes operatur uitæ conuenientes honestæ, hic uerò ciuitatis leges tantùm obseruat, ad utilitatem ciuilem institutas. Veluti accidere solet, ut aliquis artifex bonus & peritus sit, homo autem pessimus: sic ciuis etiam bonus in conseruanda Repub. est astutus, diligens, animosus, non est autem homo iustus, temperans, fortis. Talis dicitur fuisse Iulius Cæsar, qui uitam uiro bono utcunq; dignam agebat, bono autem ciue indignissimam. Senatorem itaque nostrum eiusmodi ciuem esse uolumus.

Pacis studia bellicis antefe renda.

Boni uiri & boni ciuis uirtus diuersa.

Cæsar uir bonus, ciuis malus

Felices profectò, beatæq; Respub. solent esse, quæ ciues itidem felices & beatos habent: talis est enim omnis ciuitas, quales sunt ciuium mores. Felicitas hominum & ciuitatum ex eodem fonte manare uidetur, eadem ratione, iisdem uirtutibus, felices euadunt utrique. Vt autem felices ciuitates hominæq; sint, non uirtutis tantùm, sed fortunæ quoque beneficio opus habent. Felix ciuitas est, si absolutè optima est: primæ igitur bonorum partes, in ea debent

Felicitas hominũ & Reipu. ex eodem fonte manat.

esse

Quomodo felix Respu. efficitur.

esse animi, secundæ corporis, tertiæ diuitiarum. Animi bona virtus efficit, ex qua sola, ciuitas sapiens est, fortis, temperans, & iusta. Sapiens quidem, si est consilio prudenti optimoque prædita; quæ res ad scientiam, disciplinam, & rerum cognitionem pertinet: per hæc enim talis efficitur. Quæ quidem scientia, non in fabris, aut opificibus consistere debet, sed in viris ciuilibus, ad virtutem, dignitatem, gloriamq; natis: tales autem principes, senatores, iudices, imperatores, & gubernatores sunt, propter quos solos, ciuitas sapiens, dicenda est. Hi enim si stulti, imperiti, indoctiq; fuerint, Rempub. omnem eodem modo stultam, & imprudentem efficiunt. Fortitudo Reipub. in imperatorib. ducibus, militibusq; consistit, quorum industria, robur, reiq; militaris peritia, Rempub. fortem facit. Hi enim hostibus terrori sunt, & patriam ab imminentibus periculis defendunt, eamque tutam & tranquillam reddunt. Pertinet autem maximè ad Reipub. fortitudinem, vti milites peritos & exercitatos habeat: sic enim & tranquilla vita fruetur, & à terroribus tumultibusq; vacua erit. Milites autem necesse est in pace armis assuescant, in hisq; tractandis, virtutis non violentiæ ratione ducantur; armis enim vel contrà ciues, vel contrà Rempub. abuti, non modò non boni militis, sed ne boni quidem hominis esse videtur. Quare præcipua militis virtus hæc sit, ergà ciues patriæ, modestos, humanos, clementes: contrà hostes verò, feroces, & crudeles sese exhibere: dum belli furor insurgit, hostisq; Reipub. bonis occupandis inhiat, eorum in manibus Reipub. salus, religio, fides, libertas est reposita. Hi enim in propriis ceruicibus, uitam omnium & incolumitatem sustinere videntur. Quicunque igitur miles fortis, & seruator patriæ dicendus est, is sibi propositam esse sciat, non voluptatem, non ocium, non domesticas blanditias, sed arma, gladium, hastam, laborem, atque sudorem. Omittendæ sunt illi priuatæ dissensiones, bella tam ciuilia, quàm socialia, curandumque uti patria omni tempore, paratum illum ad propulsanda pericula habeat. Scis damis, vrsis, apris, leporibus insidias tendere, canes ad feram prehendendam instruere, cur non eodem modo castra metari, ducere exercitum,

Sapiens Resp. quo modo fit.

Senatoribus stultis Resp. stulta.

Fortitudo Reipu. in quo cõsistit.

Militum officium.

Militum virtutes.

citum, vincere hostem? Hoc si nescis, atque tantummodò ventrem curas, in syluis belligeras, uicini rebus uitæq; retia tendis, vitam seditiosam, ignobilem, otiosam traducis, certè ego te non militem, sed inertem, non nobilem, sed mobilem ciuem appellabo, quin etiam te vitam nobilitate personaque tua indignam agentem, uti seruum condemnabo. Bellum est? pro patria igitur hoc suscipiendum est, properandumq;, ne mora sit in culpa, ac prius quàm stipendium in rationem conferas, hostis præda onustus fugiat, tuamq; Respub. frustrà posteà imploret opem, hanc maturè defendere, quàm cunctando perdere præstat. Stipendia non sunt, quid tum? emptus ne patriæ defensor es, an non potius datus? quæ tibi uitam, quæ gloriam, quæ diuitias, quæ omnia dedit, hoc unum grati officii munus à te expetit, vt eam charissimam omnium rerum habeas, eiusq; salutem miles fidelis & uoluntarius, non verò emptus defendas. Absit enim, ut pecuniis nobilitatam esse putes virtutem tuam, & auaritiæ pecuniæque, non patriæ miles dicaris. In pace militis officium esse puta, arma scire tractare, bello dignum se præstare, uita cæteris cum ciuibus æquali, iustaq; frui, nec eorum otiosæ dignitati armis nocere. Propter pacem pugnasti, cur igitur pacem nactus domi belligeras? Interest certè Reipub. ut militibus leges imponat seueriores, quibus ad honestè uiuendum compellantur, atque à lædendo deterreantur. Nihil enim immanius est armata iniustitia. Militum audacia nisi legibus cohibeatur, eò vsque grassatur, ut aut euertere Rempub. possit, aut certè bonos modestosque ciues, ipsamque demum iustitiam armis seruire cogat. Apud Romanos certè id accidisse legimus: penes milites.n. imperatores eligendi, plurimis annis potestas stetit, sic illi Rempub. armis occuparant, vt nec Senatus, nec populus, nec leges, eorum audaciæ, ullo modo resistere potuerint: sed de militibus longior fortasse, tanquam leuis armaturæ, facta est orationis nostræ excursio: animosum me quoq; militaris fecit audacia. Temperans & iusta ciuitas est, si æquè principes atq; ciues in ea temperanter iusteq; vixerint, quæ res sciscendis legibus efficitur: hæ namq; tam viuendi, quàm rectè viuendi sunt magistræ.

Militum uitia.

Militis officium pacis tempore quod.

Temperãs & iusta Respub. quomodo fit?

giſtræ. Ex hoc fonte manant, leges ſumptuariæ, ueſtiariæ, cibariæ, quibus in Repub. luxus reprimitur: & illæ omnes, quæ iudicia, tribunaliaque ſpectant: quarum fundamentum iuſtitia eſt, virtus reddens unicuiq; quod ſuum eſt.

Bona corporis & fortunæ, quomodo habeat Reſpub.

Corporis & fortunæ bonis abundabit Reſpub. ſi ciues in ea ſani erunt & incolumes, ſi robuſti & validi, ſi diuites & honorati, ſi illuſtres & glorioſi: de quibus omnibus ſub finem latius dicturi ſumus. Quæ ſit Reipub. felicitas, & in quo conſiſtat diximus: ſequitur vt dicamus, de ciuium vita beata, ex hac enim apparebit, quibus artibus, ſcientiis, exercitationibus, Senator inſtructus eſſe debeat, ut felicitate tam priuata quàm publica fruatur.

Perfecta felicitas hominis tribus efficitur.

Tria ſunt, uti Philoſophi perhibent, quæ ad hominis perfectionem conuenire ſolent: natura, mores, & ratio. Natura quidem ut boni & felices ſimus, non eſt in noſtra ſitum poteſtate, ſed in munere potius Deorum: quos enim hi volunt, eos naturæ inſtinctu bonos, prudentes, & ſapientes efficiunt. Contingit prætereà ſæpius; quemadmodum hominem ex homine, belluam ex belluis, ſic ex bonis & ſapientibus, bonum & ſapientem naſci: quam quidem rem ſemper efficere cupit natura, ſed cur minus poſſit, inde apparet: quod deprauatam gerimus naturam, uel educatione, vel (ut more Chriſtiano dicam,) uitio maiorum noſtrorum, quos, à ſui perfectione, malus ille genius auertit, ac penè deturbauit. Quare igniculos tantummodò reliquit in nobis ipſa natura, quibus ad virtutes resq; omnes percipiendas apti efficimur, reliqua in nobis perficiunt, Ratio & mores, id eſt ars, & exercitatio. Curandum igitur eſt homini, ut ad illam naturam, hoc eſt ad Deum, aſſiduè collineet, ab eoq; felicitatem, & perfectionem ſuam requirat.

Hominis officium.

Primum hominis officium eſt, ut cognoſcat ortum à Deo ſe eſſe; ab eoq; rationem accepiſſe, per quam eſt illi ſimilis effectus. Quoniam autem hominis ratio, corporis inuolucris tecta eſt & obducta, in eoq; quaſi carcere concluſa, nequit ſeipſam agnoſcere, neceſſe eſt, ut ex hoc ergaſtulo corporis, animus in libertatem ſe vendicet, atque ſeipſum aſpiciat, agnoſcat, contempletur, Deoq; ſimilis efficiatur. Tum enim verè dicetur homo, cùm ſecundùm illam animi partem,

tem, quæ rationis est particeps uixerit, atque ab obsequio corporis indulgentiaq; discesserit. Disciplina igitur homini quærenda est, per quam maximè Deum illum, hoc est rationem, eiusq; perfectionem consequatur. Quemadmodum natura nisi est perfecta, bono suo caret, ita bonum hominis non est absolutum, nisi fuerit in eo perfecta ratio, hæc autem in homine Deus, natura, lex, uirtus, bonum appellatur. Ex quo, homini ea est amplectenda disciplina, quæ illi Deorum, naturæ, legum, uirtutum, bonorumq; omnium scientiam cognitionemque suppeditat. Est autem hæc philosophia, munus Deorum æternum, & inmortale, quæ diuinarum nobis & humanarum rerum notionem subministrat. Hæc Deorum, uirtutum, uitiorum, rerumque omnium principia, naturam, ortum, scientiam in se continet, adeò ut si quis in eam velut speculum inspexerit, omnium rerum in ea formas, imagines, species, ideasque viderit, suique animi & corporis effigiem, penè fuerit contemplatus. Non ab re à Tullio, scientia rerum omnium, vitæ dux, virtutum indagatrix, uitiorum expultrix, animi medicina, sanitasque appellata est. Nihil est in hoc orbe, siue quid agas, siue meditere, vel in Repub. vel in foro, vel in iudicio: magnum illud sit aut paruum, quod non à philosophia omnium consiliorum, actionum, deliberationum parente proficiscatur. Eam si in omnibus dictis & factis, imitandam tibi proposueris, tum illud certè quod dicturus, facturusue es, sapiens, prudens, diuinum, ac omni ex parte perfectum fuerit. Non bella, non seditiones, non intestina odia, non discordiæ, non ulla vis malorum in ea Repub. est, in qua principes Rerumpub. philosophi regnant, aut philosophorum consiliis obtemperant. Sed hic quendam è mèdio foro delapsum audio. Quid ò Philosophe, tu ne Reipub. felicitatem, ac regum principumq; sapientiam, ex hac umbratili disciplina proficisci putas? Equidem hæc ars tua, garulæ loquacitatis non hominum felicitatis, scientia est appellanda. Hanc ne in Rempub. impune pergis inducere, quæ funestum illi adferre potest exitium? atque vt Academias iurgiis & contentionibus plenas facitis, ita quoque Rempub. huiusmodi seditionibus repleatis, ac penè distrahitis? quòdq;

Perfectio hominis in quo consistat.

Hominis perfectio quibus studiis acquiritur.

Philosophia.

Philosophiæ utilitas.

Philosophorum in Repu. utilitas.

in Academia ſine ſanguine fieri poteſt, id nè tu ſine uulneribus in Repub. ſuccedere poſſe putas? Quomodo bonum & felicitatem Reipub. veſtri philoſophi conſeruabunt, de ea varias, ancipites, & contrarias opiniones habentes? quid? Epicureo nè, an Peripatetico, aut ſtoico ciuitas potius ſibi adhærendum putabit? nonne inter iſtos non de terminis, ſed de tota poſſesſione felicitatis eſt contentio? qui autem de ſummo bono diſſentiunt, nonne de tota philoſophiæ ratione disſident? ſummum verò bonum ſi ignoretur, uiuendi rationem ignorari neceſſe eſt. Itaque tales uirtutum magiſtros, qui in vna philoſophia, quaſi tabernaculum uitæ ſuæ collocant, à Repub. potius abigendos, quàm in eam recipiendos cenſeo. Namq; ubi philoſophis de Repub. de bello, de pace, de legibus, de iudiciis conſultandum erit, quid dicturos facturosùe credes? In Cyclopum Gigantumque concilio ſe conſediſſe putabunt, & armis concurſuros credent, cùm de bello diſputantes viros in Senatu audient. Leges nè condet ille, qui præter eam legem, quam in pectore gerit, nulli alteri obtemperare vult? ratione enim uel potius opinione priuata pro lege utitur. Itaque baculo ſubnixus, accenſaq; tæda, ſole lucente quæret uicatim homines, venientes baculo feriet, belluas uocitans omnes, excepto enim ſe, nullum alterum putat hominem eſſe. Nonnè grex iſte veſter Philoſophorum hæc faciet? quid de Diogene, zenone, Epicteto, plurimisque aliis cenſes? tales ne philoſophos, Rempub. principes cuſtodesque ſtatuis?

Priuatorũ philoſophorũ mores.

Duplex genus philoſophorum, vt ſummatim dicam, ineptum ad Reſpub. gubernandas eſſe iudico. Primum eorum, qui primoribus labris philoſophiam deguſtarunt, nec eius inſtitutis, cupiditatum & vitiorum flammas in ſe ſitimq; reſtinxerunt. Vnde tales vitam à virtute philoſophiaq; diuerſam uiuunt: non enim altas in eis radices fixit philoſophia, quæ doctos ſimul & bonos efficere ſolet: doctos quidem per ſapientiam, prudentiam: bonos verò per iuſtitiam, temperantiam, fortitudinem. Nihil enim eſt in omni philoſophia præceptis & inſtitutis virtutum præclarius, quæ dum aliquis percipit, uitam beatam & felicem agit. Alterum genus philoſophorum, his eſt contrarium, qui philoſophiæ ſe à primis vſq; incunabulis dediderunt: in eaq; tan-

Qui philoſophi ad Rempub. inepti.

quam

quam ad Syreneos ſcopulos adhærentes conſenuerunt. Horum contemplandi philoſophandiq; ratio, quòd hominum vtilitatem negotiaque ciuilia non attingit, inutilis eſt Rebuſpub. quamuis enim ingenioſi doctiq; ſunt, quia tamen in vnius philoſophiæ latebris degunt, nec forum attingunt, ad res gerendas inepti ſolent euadere. Quare Plato ſolitarios hoſce philoſophiæ cultores, ſi ciuilem habeant naturam, aptiq; ad Reipub. munera obeunda reperiantur, ad ea compellere iubet, idoneos enim putat ad ciuitates regendas, ſeditionesq; populi ſedandas & componendas: ſin minus verò apti ſint, ocio gaudere priuato, & cum philoſophia ſimul eos ſeneſcere permittit. Itaque nec illos, qui paruos in philoſophia fecere progreſſus, nec hos, qui ſe nimium philoſophiæ manciparunt, ad Rempub. admittendos putamus: illos quidem, quod finem honeſtum vitæ nullum ex philoſophia cognouerunt, ad quem collinearent: hos verò, quòd vitam ciuili præſtantiorem viuere, atq; ſolitarios in inſulis beatorum ſe degere putant. Nulla verò alia vita eſt, uti Plato ſcribit, quæ magis ciuiles magiſtratus contemnat, quàm ea, quæ eſt philoſophiæ veræ. Medium igitur genus philoſophorum, ad ciuitates adminiſtrandas, idoneum eſt iudicandum. Hi enim non aliud ex iis philoſophiæ ſtudiis quærere ſolent, quàm inſtitutiones vitæ beatæ, & Rebuſpub. regendis conuenientes. Senatorem igitur noſtrum, ad huiuſmodi philoſophiæ ſtudium adhortemur; ex ea enim non modò felicitatis humanæ, verùm etiam adminiſtrandæ ciuitatis ſcientiam eſt percepturus. Naturam autem cùm primis, in eo volumus eſſe philoſophiæ conſentaneam, hoc eſt temperantem, docilem, & iuſtam. Hanc enim, nunquam ſatis quiſquam exercere poteſt, ſi non à natura fuerit memor, docilis, magnanimus: ac veritatis, iuſtitiæ, temperantiæ, amicus & ſtudioſus. Quæ res, quoniam recta educatione efficitur, neceſſe eſt, vt hanc à teneris annis optimam habeat. Caput enim, vti Plato ait, eruditionis eſt, recta educatio; per eam quaſi colludentes in omni virtutum genere proficimus. Inſtituendus eſt igitur primùm ab adoleſcentia, vt his gaudeat doleatq;, quibus dolere gaudereq; iuſtè debeat: virtutis eſt ſcire, quibus rebus, quomodoue lætandum

dum

Philoſophi Theorici Reip. inutiles.

Qui philoſophi Reipub. vtiles

Natura bona í philoſophāte requiritur.

Sapientiæ fundamentū educatio bona.

dum ſit ſemper & dolendum: hancq; ueram putat Ariſtoteles educationem eſſe. Quemadmodum intereſt optimæ Reipub. ciues bonos, vt ipſa quoque bona ſit efficere; ita quomodo educari debeant, ſummam adhibere diligentiam.

Reipub. cura in educandis ciuibus, eiſque bonis efficiēdis.

Sicut enim bonus agricola teneros palmites, ut celerius creſcant, diligenter obtegit: ſic Reſpublica, quæ parens & cultrix ciuium eſt, ut iuuenes educentur, & ad uirtutem inſtituantur curare debet uehementer. Lacedæmonii liberis educandis, magiſtratum eligere ſolebant, ex ciuibus in ciuitate ſenioribus & prudentioribus: qui publici pædagogi dicebantur, ob eamq; cauſam, omnium Græcorum illi erant uirtute, rebusq; geſtis præſtantiſsimi; & ab omnibus præceptores fortitudinis, reiq; militaris magiſtri uocabantur. Scribit Plutarchus, Diogenem Sparta redeuntem Athenas, unde ueniret, quoùe pergeret interrogatum: uenire ſe reſpondit à uiris, accedere autem ad mulieres: Athenienſium mores effœminatos notans, erant enim hi dictis, magis, quàm factis illuſtriores, atq; ob id à Lacedæmoniis cæterisq; Græcis, irridebantur. Ex quo Ageſilaus Spartanorum Rex, glorianti cuidam Athenienſi altitudine mæniorum ſuæ urbis, dixit, illis talia conuenire, quòd mulieribus alti ſolerent muri conſtrui. Sed ad educationem redeamus, cui noſtris temporibus minus, quàm ſit neceſſarium, diligentiæ impenditur. Natus enim puer, non modò à patre diſciplina liberali & honeſta non imbuitur, ſed etiam imperitis quibusq; pædagogis datur inſtituendus. Non poſſum non laudare Catonis, in educando filio diligentiam: qui uxori puerum lauanti, & faſciis inuoluenti aſsiſtere ſolebat, eumque ubi inſtitutioni aptum cognoſceret, ipſe ad ſe acceptum, literis erudiebat. Habebat quidem, Chylonem domi ſuæ Grammaticum, hominem non indoctum, qui pueros erudiebat; ſed indignum putabat, filium à ſeruo obiurgari, aut ſi tardius didiciſſet, auricula trahi, & ſe tantæ inſtitutionis gratiam pædagogo debere. Itaque ipſe filium literas, leges, mores docuit; ipſe exercuit, non modò iaculo mittendo, pugnaudoùe in armis, & equitando, ſed etiam comminus confligendo, tum prætereà natando, algore, æſtuq; tolerando. Dicitur etiam hiſtoriam, manu

Lacedæmoniorū educatio.

Muri ciuitatū, mulierū cuſtodiæ.

Catonis diligētia in educando filio.

ſua

ſua grandioribus literis conſcripſiſſe, ut filius domi haberet, unde maiorum res geſtas,& Reipub.regendæ ſcientiam perdiſceret. Præſente filio, nihil unquàm obſcænum, nihil turpe, nihil iracundum, nihil flagitioſum locutus eſt, perinde ac ſi ueſtales, aut ſacerdotes adfuiſſent. Talis erat Catonis, & omnium ferè Romanorum domeſtica in filiis educandis diſciplina. Apud Græcos, erudiendorum adoleſcentum ludos philoſophi aperiebant: quorum diſciplinas, ad hæc uſque tempora, memoria conſeruat immortalis: ab illis enim eam uirtutum omnium, atque adeò totius mundi ſcientiam, quaſi per manus traditam habemus. Hi uerò erant, tam uitæ benè ac beatè ducendæ, quàm Rerumpub. adminiſtrandarum magiſtri. Habet quoque præſens ſeculum, more Græcorum antiquorum Academias, diſciplinarum uirtutumq; omnium quaſi ſeminaria, ad quas iuuenes, tanquam ad meſſem bonarum artium commeant, uirtutum diſciplinarumq; fructus ex his reportaturi. Atque utinam earum magiſtri, ad rectè potius uiuendum, quàm diſputandum erudirent iuuenum ingenia, fortaſsis enim melius de Rebuſpub. atque adeò de uita et felicitate hominum mererentur: nec eorum auditores diſcum audire, quàm philoſophum mallent, ut dicitur. Antiquis temporibus philoſophantes, primùm in ſcholis tacere diſcebant, nunc magis nihil, quàm loqui diſcunt, proptereaq; ex his euadunt, Oratores elingues, philoſophi imprudentes: non enim pectus uirtutibus & honeſtis diſciplinis, ſed linguas erudiunt. Vnde à præceptoribus laudantur propter contentionem, uim animi, certamen, non propter modeſtiam, prudentiam, iuſtitiam. Scire autem debent Academici, ſe tenere ſcholas, non dormitantis huius & oſcitantis modò philoſophiæ, ſed etiam ciuilis ſapientiæ, cuius laus omnis in benè agendo,& rectè ſentiendo conſiſtit. Vetus Græcorum Academia, Rerumpub. erat ſeminarium, ex qua Reges optimi, duces & gubernatores celeberrimi, tanquam ex equo Troiano prodibant. Alexander & Scipio, duo præſtantiſsimi Imperatores, in Academiis enutriti fuerunt, prætereo alios innumerabiles. Ciues igitur in Academiis exerceri debent, ad honeſtè uiuendum, & Rempub. gubernandam. Ob idq;

Philoſophi morũ magiſtri.

Academiæ uirtutum ſeminaria

Philoſophiæ ſtudium in quo conſiſtat.

Alexader & Scipio Academici.

Academiarum vtilitas.

Reſpub.curare debet,vt ſcholas habeat virtutum omnium tanquam officinas. Bonam igitur in futuro Senatore naturam & inſtitutionem requirimus; ſi enim illa mala fuerit, non modò bona à philoſophia non efficietur, ſed omnium peſsima erit; ſiquidem humana natura procliuior eſt ad malum, & cùm eſt artibus philoſophiaq; inſtructa, tum vim maiorem ingeniumq; perſpicacius ad malè agendum acquirit. Optimæ ſcientiæ prauam naturam adeptæ, ipſæ quandoque deprauantur, & in contrarium mutantur, maleq; agendi ſuggerunt conſilia. Feritatem enim in homine malo, augent cogitationes perſpicaciſsimæ mentis: propterea ſubtiles hominum ſpiritus in ira, uidemus conuerti in furorem. Concludendum eſt igitur, naturam bonam, malam inſtitutionem adeptam, inſignitè malam fieri: malam quoque naturam, bona inſtitutione ad res nequiſsimas & peſsimas abuti ſolere. Bonum enim in contrario ſuo poſitum, peſsimum efficitur: non minus quàm bonis ſeminibus in malo ſolo ſatis accidit, mutari enim eorum naturam videmus. Magna vis igitur eſt in educatione, hac enim teneri iuuenum animi in utramuis partem flecti ac reflecti ſolent. Diogenes interrogatus, quomodo quis vitam tranquillam agere poſsit, reſpondit, ſi Deos primùm venere- tur, hi enim felices, & beatos homines efficiunt; ſi filios enutriat ad uirtutem; hi enim malè educati, ſummi hoſtes patribus in ſenectute ſunt; tertio ſi gratus ergà amicos ſit. Apollinis enim dictum verum eſt, hominem ingratum, toti orbi inuiſum & odioſum eſſe.

Diogenis de educatione ſententia.

Puerilis inſtitutio.

Adſit deinde ipſi iuueni puerilis inſtitutio: quæ in orationis proprietate, ſplendore, et veritate indaganda verſatur. Huius tria ſunt capita, Grammatica, Dialectica, Rhetorica: tres.n.hæ diſciplinæ ſunt, veluti fòres & oſtia ſapientiæ; ex his dicendi præcepta hauriet, eaq; vſu, domeſtica exercitatione, lectione veterum Poetarum & Oratorum confirmabit. His verò inſtructus, non hæc iam amplius vulgaria, communia, & contrita cogitabit, ſed euolare nitetur, ad maioraq; excurret. Agnoſcere.n.ſe animus incipiet, veraq; pabula quæret, quibus nutriri ſatiariq; cupiet. Eſt autem animi non modò pabulum, ſed etiam medicina philoſophia: hæc ægritudines

Philoſophia.

tudines omnes doloresq; ſanat, hæc homini ueram felicitatem patefacit: erigimur, ac elatiores præſtantioresq; fieri cupimus, vbi à corpore, atque ab his terreſtribus, ad illa ſupera, & cæleſtia animi noſtri diuerticula, nos conuertimus. Huius inueſtigandæ ratio duplex eſt, altera in naturæ obſcuritate poſita, totius vniuerſi contemplationi ſubiecta: altera in vita, & moribus hominum rectè inſtituendis, Rebuſpub. adminiſtrandis, & re familiari tuenda. Prioris eſt Phyſica, Metaphyſica, Mathematica: poſterioris, Ethica, Politica, & Aeconomica. Vtriuſque philoſophiæ finis ſanè non eſt diuerſus. Quemadmodum enim, per contemplationem rerum diuinarum, animus à corpore diſiunctus, felix per ſe & beatus efficitur, ac Diis ſimilis euadit: ſic in actionibus honeſtis etiam contingit, dum ratio ſatellitio uirtutum, honeſtarumque actionum ſtipata, reuocat animum à corporis illecebris, & vitæ turpitudine. Segregatus autem animus à corpore, duabus his rationibus, Deo ſimilis efficitur, felixque eſt iure optimo, & beatus. Differunt autem hoc inter ſe, quòd is in negocio, ille in otio, Deorum ſimilitudinem exprimit. Ex quo duplicem efficiunt felicitatem, publicam & priuatam. Omnino qui in exercenda uirtute, & in agendo ſuam reponunt felicitatem, vtiliores Rebuſpub. commodioresq; ſolent eſſe. Bonum enim quo communius eſt, eò melius & vtilius habetur. Eodem modo felicitas, quæ ſe diffundit in multos, præſtantior eſt habenda, ea, quæ vno capite continetur. Illud tamen fatendum eſt, ſpeculationis priorem ac nobiliorem eſſe gradum: quòd rebus optimè agendis cauſam & occaſionem præbeat. Dii præterea nihil agendo, perpetuaque contemplatione, res omnes præuidendo, mouent exemplo ſuo philoſophos, ut contemplationem rerum diuinarum, præferant omni humanæ actioni & felicitati.

Philoſophiæ ſtudium duplex.

Felicitas duplex.

Actionis & ſpeculationis cõparatio.

Quoniam autem Senatoris felicitas, & omnis ſcientia ſapientiaque, in agendo conſiſtit: is enim eſt, qui rationem rectæ & honeſtæ uitæ non ignorat: qui priuatarum publicarumque rerum adminiſtrationi eſt conueniens, qui regere conſiliis urbes, fundare legibus, emendare iudiciis ſcit: neceſſe eſt, ut eam partem philoſophiæ calleat, quæ virtu-

Philoſophia ſenatoria quæ ſit.

tum & actionum humanarum præcepta, ciuitatumque administrandarum scientiam, in se continet. Is igitur locus de moribus ad vnguem illi perdiscendus est, is illi præstiterit, tam viuendi, quàm rectè uiuendi, consulendique sapientiam. Quomodo enim is, vitam virtuti conuenientem agere potest, qui quid virtus sit ignorabit? an de iustitia fortitudine, abstinentia, prudentia, non plurima dicet in Senatu? Quomodo verò seditiones componet, leges sciscet, si non iustitiæ, prudentiæq; præcepta planè cognouerit? vtrumnè de bello, pace, fœdere prudens consilium dabit, si quod bellum iustum, quod iniustum, quæ pax honesta, quæ turpis, quod fœdus sanctum, quod peruersum nesciet? Omnem honesti uim, omnes uirtutes, non uocibus tantùm sibi notas, atque nominibus aurium tenus, in vsum linguæ perceptas, sed mente complexas tenere debet. Summam autem eorum omnium in Ethicis, Politicis, Aeconomicisque libris inclusam habet: ex his quasi thesauris depromet, virtutum cognitionem, Rerumpub. gubernationem, hominum mores, rei priuatæ administrationem. Hæ præterea disciplinæ, ueram illi de rebus omnibus iudicandis scientiam suppeditabunt, & quid in quaq; re honestum, quid contrà turpe sit indicabunt. Neque solùm, quæ talibus disciplinis continentur, sed multò magis etiam, quæ tradita antiquitus, dicta & facta præclarè sunt, nosse & animo semper agitare debet. Quarum rerum cognitio, nusquam maior & amplior, quàm in annalium historiarumq; monumentis reperitur. Non abs re Tullius historiam, testem temporum, lucem veritatis, vitæ memoriam, magistram vitæ, nuntiam vetustatis dixit. An fortitudinem, fidem, iustitiam, continentiam, frugalitatem, contemptum doloris ac mortis, melius alii docebunt? quam Cornelii, Valerii, Fabritii, Curii, Decii, Mutii. Quid de nostris dicam? an verò, non summæ virtutis splendor enituit, in Lechis, Piastis, Boleslais, Iagelonibus? Eam autem sapientiam, non ex cognatis temporibus, præsentique luce tantùm intuebitur, sed omnem posteritatis memoriam, spatium uitæ honestæ, & curriculum præstantissimæ laudis iudicabit. Inde ciuilis sapientiæ præcepta hauriet, uirtutum, rerumque fortiter

Historiæ cognitio.

Regũ Poloniæ celebres familiæ.

gestarum

gestarum exempla imitabitur. Cognoscenda sunt etiam ea omnia, quæ ad vsum ciuium, moremq; hominum pertinent, quæ versari solent in consuetudine vitæ, in Repub. in societate ciuili: in sensu hominum communi, in natura & moribus. Tum illæ præclaræ disciplinæ, Senatoriq; vehementer necessariæ, de legibus instituendis, de bello, de pace, de vectigalibus, de iure ciuium, de administratione Reipub. de disciplina ciuitatis, de naturis hominum, de rationibus his, quibus mentes illorum & incitentur & reprimantur, de virtutibus, de disciplina iuuentutis, de ciuibus instituendis, de conformandis hominum moribus, de diis immortalibus, de fide. Iura prætereà sociorum, fœdera, pactiones, causæ imperii, penitus non sunt ignorandæ. Hæc omnia posita ante oculos hominum esse uidemus, collocata in vsu quotidiano, in congressione hominum, in foro. Non æquum autem esse uidetur, vt Senator in consuetudine Reipub. in exemplis, in legibus, in voluntate deniq; ciuium suorum sit hospes. Verè mihi Antonius, Rectorem & publici consilii autorem descripsisse videtur, qui quibus rebus vtilitas Reipub. pararetur augereturq; teneret, iisq; vteretur; tales autem Romæ fuisse dicit, Lentulos, Gracchos, Metellos, Scipiones, Lælios. Nostris temporibus, multi veniunt ad petendos honores, & ad Rempub. gubernandam inermes, nulla cognitione rerum, nulla sapientia præditi. Sin aliquis illustrior apparet, is aut vnius anni militiæ vsum, aut iuris scientiam pragmaticorum, aut diuitias solas, aut domesticam autoritatem, in Senatum secum adfert: bonarum verò & honestarum artium scientiam, virtutumq; cognitionem, non norunt. Neq; erit mihi perfecta laude dignus Senator, qui non benè sentire, recteque facere, & sciat, & velit. Huic non fuerit decorum, in leges iurare cuiusquam: summæ sapientiæ enim veluti candidatum aget, siquidem erit tum vitæ, tum consilii laude perfectus: id erit illi iustum, æquum, sapiens, laudabile, quod à virtute, legibus, veraq; ratione profectum esse putabit. Omnis enim sapientia, ex rerum cognitione efflorescat necesse est, quam nisi homo ex magnarum rerum artiumq; scientia fuerit consecutus, nihil vnquam dignum, non Senatore modò, sed ne homine quidem cogitarit,

Ciuilis sapientia.

gitarit, dixerit, fecerituè. Magna pars etiam prudentiæ Senatoriæ consistit, in cognoscendis variorum populorum moribus, legibus, & consuetudinibus: quarum rerum scientia, peregrinando acquiritur, sicut scribit Homerus de Vlysse.

Dic mihi Musa uirum, captæ post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum uidit & urbes.

Quæ in peregrinatione obseruanda.

Obseruandum est autem in peregrinatione, ut mores externorum & consuetudines honestas cognoscamus, turpes & iniquas fugiamus. Videndum præterea apud exteros, quæ leges, quæ iurisdictio, quæ libertas, quod genus uiuendi, quæ disciplina militaris, quæ ciuilis, quæ domestica; qui situs regionis, quæ ciuitatum structuræ, quæ præsidia, quæ munitiones. Virtutes etiam principis cuiusque cognoscendæ sunt, populi in eum uoluntas, Senatus prudentia, iudiciorum forma, natura & ingenium populi, quibus maximè uirtutibus se oblectent, quibus abundent uitiis, qui inter eos aut docti, aut sapientes, aut milites, aut imperatores inueniantur, Multa alia, quæ sagaci rectè possunt inuestigari iudicio, quærenda sunt, & nobiscum auferenda; ut si fortè usus earum rerum in patria necessarius uideatur, is obseruetur & retineatur. Cauendum est autem, in nouis & externis consuetudinibus inferendis, ne ciues efficiamus rerum nouarum cupidos, ne molles, & effæminatos, ne auitæ uirtutis, morum, legumque negligentes. Est enim plebis natura, nouitatum appetens: quæ si perniciosæ sunt, Rempub. uehementer affligunt. Quæ igitur aut honesta sunt, aut naturæ ciuium consentanea, aut Reipub. utilia, aut terræ cæloque huic, in quo uiuimus, minimè contraria, ab externis sunt recipienda: talis enim, & non alia peregrinitas est laudanda. Multi peregrinatione se delectarunt, Nestor, Menelaus, Alexander magnus. Præclarum

Osiris.

illud Osiris Aegyptiorum Regis, ut testatur Diodorus Siculus, in sepulchro scriptum: Osiris Rex sum, Saturni antiquior filius, qui nullum orbis locum reliqui, quem non attigerim, discens ea omnia, quæ generi humano utilia sunt & necessaria. Si autem ea facultate peregrinandi carebit, leget Historicos, Geographos, Cosmographos,

Geographi & cosmographi

cura-

curabitq; ne in uita sua, nihil cognoscendo puerum agat. Eius etiam partis philosophiæ, quæ in obscuritate naturæ in daganda uersatur, planè non rudem eum esse uolumus, sed paucis; nam omnino haud placet. In hac enim occupatione uitæ, licere puto illi aliquid nescire. Infinitus & immensus est sapientiæ campus, proptereaq; partitio scientiarum facta est, quòd singuli in uniuerso genere, non potuerunt excellere. Rerum etiam cognoscendarum, cùm sit triplex conditio, utilis, iucunda, & honesta: iucundorum & honestorum cognitio, non tam est ad Rempub. regendam necessaria, quàm amœna & dulcis: ut si quando feriatus à publicis negociis fuerit animus, à rostris, à iudiciis, à curia, habeat quo se recipiat, recreet, colligat, molliter recubando, & delicatè quiescendo. Neque possumus ire inficias, philosophiæ huius in Repub. maximas utilitates esse, potissimum uerò, si cultores eius uitam ciuilem adament, Repub. conspectuque ciuium, non autem solitudine tectisque priuatis gaudeant. Qui si ualetudine, aut alia re quapiam impediantur, uel se minus idoneos, ad Reipub. munia obeunda esse iudicarint, tum uerò uitam illis, naturæ eorum conuenientem agere permittimus, eosque unguento in caput effuso, & lana coronatos, ad subsellia, scholas, gymnasiaque dimittimus. Huiusmodi philosophandi ratio, tametsi priuata est, magnos tamen Reipub. fructus adferre consueuit. Neque enim isti solum philosophi probandi sunt, qui regendæ Reipub. scientiam norunt, uerùm etiam illi, qui sapientiæ suæ monumenta, literis nunquam intermorituris consecrant, uel alios, suis ad uirtutem, & Reipub. gubernationem præceptis instruunt; siquidem eorum ex libris & sermonibus ea depromimus, quæ ad leges, mores, uitam beatam, Reiquepub. gubernationem pertinent: adeoq; de nobis merentur, ut otium suum ad nostrum negocium, conferre uideantur. Talium in numero fuerunt Theophrastus, Heraclides Ponticus, Dicæarchus, Socrates, Pithagoras. Dicæarchi philosophi de Repub. librum, Spartiatæ quotannis recitandum publicè decreuerant, vtq; iuuenes eum auditum conuenirent statuerant. Philosophiæ autem præcepta, ad animum excolendum, virtutesque cognoscendas,

Philosophia naturalis.

Impossibile est vnũ omnia scire.

Rerũ cognoscẽdarũ triplex cõditio.

Philosophi priuati quomodo utiles Reipub.

In philosophando quæ cauenda.

non

non ad contentiones disputationesq; vtendum est: maledicta, contumeliæ, iracundiæ, contentiones, concertationesq; non dignæ mihi philosophia uidentur. Stultum eum esse puto, qui virtutem & philosophiam, esse verba credit: constantia, fides, probitas, vera est philosophia, cæteræ scientiæ non virtutes, sed virtutum instrumenta & ornamenta sunt. Neque sectarum varietate, distrahendum animum censeo. Epicurus ex tuis hortis, vel potius ex animo est exterminandus. Ea enim sapientia, quæ suscepit patrocinium uoluptatis, procul esse debet ab eo viro, quem quærimus, & quem publici Consilii, gubernandæq; Reipub. ducem esse uolumus. Stoicos non improbo, dimittendos tamen censeo, nostro enim Senatori non satis placebunt: quòd eos omnes, qui sapientes non sunt, vti Tullius dicit, seruos, latrones, hostes, barbaros, insanos esse dicunt; nec verò consentiunt aliquem inueniri posse sapientem. Est autem omnino absurdum, eum in Senatum cooptare, cui nemo illorum, qui adsunt, sapiens, nemo ciuis, nemo liber esse videatur. Inter Stoicos & Peripateticos nonnullæ quandoque de summo bono oboriuntur contentiones: Peripateticis tamen adhærendum est, hi sunt enim veriores morum & virtutum magistri, ex eorumque familia, optimi perfectiq; ciues, imperatores, Reges, philosophi, tanquàm ex equo Troiano proueniunt.

Quæ vera philosophia. — Epicurei. — Stoici. — Peripatetici.

Hanc autem rerum magnarum, atq; artium scientiam, illustrabit in Senatore eloquentia: quæ est ornamentum sapientiæ. Hac nisi præditus erit intelligimus omnia in Senatore, etiam si summa fuerint, exilia fore. Ornata & sapienti oratione, non solùm ipsius dignitas, sed & priuatorum multorum, & vniuersæ Reipub. salus defenditur: per eam concitati animi sedantur, sedati concitantur, sæpeq; oratio efficit, quod ferrum hostilè nequit efficere. Quæcunque igitur Senator dicturus est, prudenter, compositè, ornatè, & memoriter dicat, cum quadam etiam actionis dignitate. Proxima eloquentiæ est, iuris ciuilis cognitio: cuius finis est, iusta in rebus omnibus æqualitatis conseruatio. Quis enim prudentius causas & controuersias decidet, quis ciuium seditiones melius componet, quis Reipub. leges, populi

Eloquentia. — Iurisprudentia.

puli consuetudinem, libertatem, mores sapientius defendet, quàm iuris legumq; peritus? verum est certè quod dicitur, Iuris consulti domum, oraculum esse ciuitatis. Hunc Antonius, legum & consuetudinum Reipub. qua priuati vtuntur, & ad respondendum, & ad agendum, & ad cauendum, cognitione iubet excellere. Non autem causidicum, neque proclamatorem, aut rabulam Senatorem esse volumus: hoc enim hominum genus infimum est, & mercedula adductum, ministrum se præbet falsitatis & iniustitiæ, simulq; linguam & animum contrà iustitiam instructum & armatum gerit; difficile autem est, eum iustitiæ & veritatis amantem esse, qui linguam quæstui prostituit. Senatoris igitur officium sit, innocentiam iudiciorum fraude liberare, contrà malos & nefarios ciues, uoluntarium se accusatorem exhibere, bonos defendere & adiuuare, non mercede ad id prouocante, sed iustitiæ, amicitiæq; dignitate: quod multos nobilissimos & grauissimos Senatores, Romæ factitasse legimus. Sed ad ciuilem disciplinam progrediamur, nosq; ad munus, pensumq; propositum reuocemus.

Ciuilis disciplina, nihil aliud est, quàm uitæ nostræ, ciuitatisq; benè & iustè gubernandæ scientia. Vir enim ciuilis, à philosophis appellari solet is, qui facultate, & uirtute instructius est, ad ciuiliter imperandum, uti Regius, qui ad regendum: interdum etiam ad leges condendas, & uitam honestè ducendam. Finis ciuilis disciplinæ est, bonum ciuitatis, scilicet ipsum iustum: id autem est, publica utilitas. Plato in sua ciuitate duplices instituit disciplinas, alteras quæ corporis, alteras, quæ animi uires exercerent. Animorum disciplinam, Musicam esse dicit, corporis uerò Gymnasticam. Per musicæ harmoniam, animi quendam concentum & consensum, ac quasi concordiam intelligit: ubi actiones omnes uirtutibus, & hæc itidem illis consonant. Huiusmodi uerò cognationem in homine efficiunt, leges & philosophia: per hæc enim duo, quid honestum, quid turpe, quid iustum, quid iniustum, quid deligendum, & fugiendum sit, cognoscitur: quomodò prætereà amicis, parentibus, magistratibus obtemperandum. Per Gymnasticam corporis exercitationes intelligit, hac enim robur, & for-

Ciuilis disciplina.

Vir ciuilis.

Ciuilis disciplina duplex.

Musica.

Gymnastica cuiusq; species.

& fortitudo corporis, augetur in homine. Consistit autem hoc in saltatione, cursibus, lucta, venationibus, in equitando & iaculando, & ut dextra peræquè ac sinistra valeamus, quarum uires, nutricum educatio diuersas in nobis efficit. Ad summum, militares omnes honestæq; corporis exercitationes, sub Gymnastica continentur. Nihil profectò, magis necessarium est cuiq; viro, maximè verò ciuili & Senatorio, quàm corporis & animi exercitationes inuicem coniungere, atq; fortitudinem cum temperantia consociare: vt scilicet per illam alta petat, per hanc non despiciat humilia, & vtraq; ex parte nihil vnquam nimis, aut audeat, aut metuat. Est enim necesse, ut per fortitudinem, publicas priuatasque propulses iniurias: per temperantiam, contineare ab inferenda iniuria: per illam ad honesta uoceris; per hanc cohibeare à turpibus. Ad hæc Musica & Gymnastica (vt Platonicè dicam) summa adferunt adiumenta: siquidem per illam temperantia, & cæteræ virtutes, per hanc fortitudo corporis & animi comparatur. Consocianda verò sunt hæc inuicem propterea duo: sola namq; Gymnastica, parit ferocitatem, Musica sola, mollem & effæminatum animum: utræque generant & producunt in homine, perfectionem virtutis. Hac igitur ratione futurus Senator se exercebit, nam & consilio in pace, & in bello fortitudine ualebit: ad hæc enim duo, illum patria, Resq; publica genuit. Præclarum illud, & ad memoriæ famam propagandum erat Romanorum institutum: apud quos nobiles & generosi ciues, in his potissimum duobus, liberos suos excellere uolebant: vt.s. domi boni Senatores, foris fortes essent imperatores. Proptereaq;, nulla Respub. fuit, quæ tot imperatores & Senatores, vnis inclusos mœnibus simul haberet. Ex quo Cyneas Pyrrhi legatus, Senatum Romanum, multorum Regum, sibi consessum uideri dixit. Ad ciuilem disciplinam pertinere putant aliqui, ciues in Repub. bonos & moratos efficere: non enim ciuibus præscribendus est imperandi solùm, sed etiam parendi modus, nec uerò ut obtemperent tantùm obediantque magistratibus, sed etiam ut eos colant & diligant efficere. Quæ res, quoniam legibus sanciendis efficitur, danda est opera Senatori, ut in ea parte, legislato-

Corporis & animi exercitatio cõiungenda.

Belli & pacis artes Senatori cognoscendæ.

Romanorũ studia.

Morati, & obediẽtes ciues quo efficiãtur.

rem

rem peritum & doctum agat. Primus enim gradus ad virtutem, & honestatem est, legibus & magistratibus obedire: leges enim in Repub. nihil aliud sunt, quàm in certas regulas conscripta uirtus, & ratio uiuendi. Theopompus Rex spartanorum, cùm illi dictum esset, Rempub. Lacedæmoniorum, propterea rebus secundis florere, quòd Reges haberet, qui rectè imperare scirent, minimè respondit, sed quòd ciues scirent optimè parere. Disciplinæ Laconum inter cæteras hæ præcipuæ, uti refert Plutarchus, fuerunt: magistratibus legibusq; parere: laborem omnem fortiter ferre: pugnando scire, uel uincere, uel mori. Erant in omni ferè Græcia, communes istæ disciplinæ ciuiles, in quibus iuuenes se exercere solebant. vt his instructi, tam in bello patriam defendere, quàm in pace regere, & in ocio vitam honestè degere scirent: literæ, palæstra, musica, pictura, ars nandi: harum imperiti irridebantur, dum neq; natare, neque literas scire dicerentur. Thebanus quidam interrogatus, quomodò conseruari possit status omnis Reipub. respondit, obseruatione iustitiæ; & ante omnia, si est disciplina inter iuuenes, non est auaritia inter senes. Magna uis certè est ciuilis disciplinæ in Repub. per hanc enim ciues, ad omne genus virtutum apti & idonei redduntur.

Leges quid sint. *Disciplinæ Laconum.* *Græcorū disciplinæ* *vtilitas in Repub. ciuilis disciplinæ.*

Non prætereundum illud est etiam, plurimos nullis, aut sanè perexiguis imbutos artibus, nulla literarum tinctos scientia, nullo philosophię studio gustato, ac ne audito quidem, videri prudentes, bonos, iustos, fortes, ac in Rep. magistratus, ciuiliaq; negotia, summa cum dignitate administrantes. Quod cùm ita sit, disciplinam ciuilem aliam fortassis aliquis, eorum exemplo à me requiret, Philosophiam, & alia, quę antea dixi, reiiciet, non ingenii ætatisq; suæ perceptionem horum esse putans, uulgatum illud, medicorum commemorabit, artem longam, uitam breuem esse. Platonem etiam dicet, felicem eum appellare solere, cui in ipsa senectute, uel potius in ipso uitæ decliuio datum sit, veras nosse de sapientia, rebusq; omnibus opiniones. Experimur enim meliores: prudentioresq; nos, tempus diemq; facere. Magna res est fateor sapientia, quodque magis dolendum est, ad eam acquirendam sentimus plurima nobis, uitæ nostræ fragilitatem, adferre

impedimenta. Multi enim uixdum medium curriculum uitæ prætergresſi, aut ne aggresſi quidem, Parcarum fatali lanficio abſumuntur. Nonnulli corporis magis, quàm animi ſeruientes officiis, uitam ſapientiæ duram & aſperam, tanquam Scyllam & Charybdim, fugiunt. Quid dicam de his, quos inuita Minerua nihil unquàm dignum philoſophia, facere, ſentireq; permittit? Quæ omnia tametſi nobis philoſophiæ, veræque ſapientiæ percipiendæ, ſpem quodammodò præcidant: non tamen abiecto prorſus animo & conſternato, nos reddere debent. Vitam felicem non longitudo temporis, dierumq; numerus facit, ſed uirtus: qua ſi carueris, etiam ſi Neſtoris annos, aut Phænicis ætatem, quod dicitur, ſuperaueris, uitam tamen miſeram, breuem, ac infelicem egeris. Quid enim intereſt, mori iuuenem te: ſi poſt mortem hanc, uirtus tibi uitæ dabit initium? Silenus Poeta, captus à prædonibus, ac ad Midam Regem adductus, cùm ad ſe redimendum pecunia careret, à Rege petiit, ut ſe liberum faceret, daturum ſe munus illi cupiens, omni auro & argento carius. Hoc autem, duobus uerſiculis, non magis verè, quàm feſtiuè expresſit, maximum munus inquiens homini à Deo, non naſci, proximum, citò mori: quod ubi multis argumentis comprobaſſet, Rex eum liberum dimiſit, ſimulque donauit. Quæ enim uita potior eſt habenda, hæc ne caduca, miſera, & fragilis; an verò illa beata, felix, & æterna, cuius nobis certam poſſesſionem, uera virtus comparare ſolet? Viuimus propterea ut moriamur: cur non potius morimur ut uiuamus? Vitam felicem uirtus tibi largita eſt: moriere ergo felix. Summo igitur ſtudio uirtuti nauanda eſt opera, cuius altrix nutrixq; eſt philoſophia: aut enim per eam euademus in ſummum, aut certè multos infra nos videbimus. Honeſtum erit, ſi nullatenus poterimus in primis, at certè in ſecundis, uel tertiis conſiſtere: fuerimus hoc modo apud eos primi, qui nobis inferiores erunt. In rebus præſtantibus, uti ait Tullius, magna ea putantur, quæ ſunt optimis proxima. Neque enim ſi Achillis gloriam in re militari, quis conſequi non poteſt, Aiacis aut Diomedis laudem aſpernabitur: aut ſi quis Platonem, Lycurgum, Solonem, attingere nequit, propterea in indoctis numerandus erit.

Vitæ humanæ miſera conditio.

Multi

Multi inueniuntur, uti dixi, qui ſapientiæ poſſesſionem, & Reipub. adminiſtrandæ ſcientiam nacti ſunt, non ex philoſophorum libris ullis, ſed ex inſtitutis maiorum, exemplis, conſuetudine, experientia, paterna domeſticaque diſciplina, legibus, moribus, & ex quadam naturæ ſagacitate, quam parumper exornarunt honeſta liberalique educatione. Talium in omnibus Rebuſpub. exempla plurima reperiri ſolent: quorum diſciplina ciuilis, eſt forum: magiſter autem, uſus, leges, inſtituta Reipublicæ, mosq; maiorum. Demades prudens ille vir, & optimè verſatus in Republica, cùm aliquando interrogaretur, quem in ſapientia quærenda præceptorem habuiſſet? tribunal reſpondit Athenienſium: exiſtimabat enim forum, & in rebus agendis experientiam, quauis inſtitutione philoſophorum potiorem eſſe. Neque antiqui Romani, iuſtam illam & pulchram Reipub. formam, è philoſophorum libris magis, quàm è ſuo ingenio depromptam, poſteris reliquerunt. Quid dicam de maioribus noſtris, qui non multum disſimilem Romanæ, nobis quoque Rempub. condiderunt? aberant tum à Polonis longe Platonis, Lycurgi, Solonis, Ariſtorelis, ſummorumq; Philoſophorum & legislatorum diſciplinæ, ſola virtute res illorum creuit, quam non è libris, ſed à ſeipſis petebant. Hæc ſapientia fuit illis, virtuti obſequi, nihilq; contrà hanc, nec facere, nec ſentire. Itaque Regibus & Senatu, non ad lites componendas, non ad contentiones iudiciaq; dirimenda vtebantur: ſed ut ex his virtutis exemplum, & regulam caperent, eoſque duces in bellum, pro ſalute patriæ tuenda ſequerentur.

Vulgaris & quotidiana ſapientia.

Forum & experientia.

Vetus Polonorum Reſpub.

Vetus illud ſæculum, quod à Poetis aureum vocatur, fœlicisſimum per ſe genus hominum & ſapientisſimum, producere ſolebat: nec immeritò quidem: in illis enim primordiis, & rudimentis vitæ humanæ, virtute ſola regnante, nulla fuit hominibus vitiorum ſcelerumq; cognita lues. amabant vitam rectam, iuſtam, ſimplicem, cui à natura cognata eſt, virtus & ratio. Itaq; naturæ ſuæ ſtimulis, & ad uirtutem honeſtatemque impellebantur, & vitia fugiebant, quæ facilè quòd erant incognita, fugere poterant. de hac pręclarè Naſo, ætate ſcribit.

Aureū ſeculum.

Aurea prima sata est ætas, quæ uindice nullo,
Sponte sua, sine lege, fidem rectumque colebant:
Pœna metusque aberant, nec supplex turba timebat,
Iudicis ora sui, sed erant sinè iudice tuti.

At postquàm senescere, & quasi ad occasum declinare Sol ille ueræ virtutis, uitiorumq; tenebris obscurari cœpit, tum mox hominum ingenia quoque, ad res malas prolabi, uitia satius nosse, quàm virtutes malle, illis se oblectare, has fugere cæperunt: exinde quisq; contrà virtutem se armare, alteri nocere, sceleratè uiuere, ratione ad res malas abuti, pulchrum & honestum putabat. & ut idem.

Secula deprauata.

Protinus irrupit, uenæ peioris in æuum.
Omne nefas, fugere pudor, uerùmque, fidesque.
In quorum subiere locum, fraudesq; dolique,
Insidiæque, & uis, & amor sceleratus habendi.

Atqui certè scelerum hic gurges & uorago, absorbsisset penè humanum genus, nisi naturæ rationisque vis, ex tanta clade quasi receptui canens, in paucorum hominum præsidium se recepisset. Pauci igitur hi, primùm quidem vitiis indicto bello, mortales omnes, pecudum quasi more uiuentes, ad humanitatem verbis pellexerunt, eorumq; officia, virtutes, dignitatem, non dicendo solùm, sed scribendo etiam illustrarunt. Vnde leges emanarunt in ciuitatibus, uitæ benè transigendæ magistræ: quod .n. quisq; bonum, iustum, rectum honestum, vel agendo, uel intelligendo animaduertit: id obseruatum ne periret, libris custodiuit, qui sunt immortalitatis, æternæq; memoriæ uindices. Hinc nata virtutum præcepta, de moribusq; & officiis hominum, plurima sunt conscripta volumina. Subsecuti sunt alii, qui non hominum mores & officia solùm, sed ipsius uniuersi naturam perscrutati sunt. Hæc verò naturæ humanæ, mundique totius consideratio, uno nomine à Græcis Sophia uocabatur, eius autem indagatores Sophi, ac deinde quasi superbum perosi nomen, Pithagoræ exemplo, philosophi dici cœperunt.

Qui aurea secula restituerunt

Philosophia.

Hoc igitur modo rationis naturæq; humanæ lumen, quod vitiorum tenebris obscuratum & obnubilatum erat, eluxit: eamque nobis rerum diuinarum & humanarum cognitionem, quæ Philosophia uocatur, dedexit: cuius beneficio, mortales

Philosophia aurei seculi uindex.

mortales virtutem antiquam, simplicitatem, innocentiam, felicitatem amissam recuperarunt. Quotus enim quisque erat, qui honestè uiuere, vitiis repugnare, uirtutes nosse uolebat, is Philosophorum libris & sermonibus, sese tradebat erudiendum, quasi planè diffidens, naturæ ingenioq; suo, malarum rerum scientia, pessima educatione, vmbris, desidia, languore, deliciis, ocio, opinionibus, maloque more imbuto & infecto. Philosophia igitur, aureum illud seculum restituit, & antiquam hominum conditionem, naturam, felicitatemque recuperauit. Ab ea quicunque ueteris aureæque humanitatis, virtutum, atque honestè uiuendi præcepta percipiunt, non ciuiles & prudentes illi tantùm, sed felicissimi etiam, vereque beatissimi efficiuntur. Qui uerò sine ulla Philosophiæ, disciplinarumq; cognitione prudentes sunt, duplici uia id consequi solent. Aut enim natura diuina præditi sunt, cuius munere omnia ipsi per se compræhendunt, prouident, intelligunt; uti antiquis temporibus apud Græcos, Theseus & Cecrops, apud Latinos, Romulus & Numa fuerunt: hi enim ad Respub. gubernandas, non ullam Philosophorum doctrinam, sed ingenium à Musis cœlestibus instructum attulerunt. Aut experientia forensi edocti, cautionibusque ciuilibus imbuti, ad Rempub. accedunt. Qui quidem si uiri boni sunt, legibusq; in Repub. constitutis omnia moderantur, laudandi sunt, licet imperfectam, multisque periculis, & mutationibus obnoxiam, habeant prudentiam: sin mali, maximè sunt vituperandi, nihil enim his flagitiosius, nihil detestabilius, nihil perniciosius in Repub. fieri solet. Verissimè Mitio apud comicum dixit, Homine imperito nihil quidquam iniustius esse: hic enim quoniam iusta gubernandi præcepta nescit, & unius fori experientiam, summam esse ciuilis disciplinæ sapientiam existimat; tumultibus, seditionibus, turbis, Remp. implet, nec scit quibus modis aut rationibus, qua arte, quouè consilio, talibus malis occurrat, ad hæc.n. extirpanda, neq; consilii locum habet, neque auxilii copiam: quas quidem duas res illi, ignorantia rerum omnium malarum, uitiorumq; mater adimit. Cùm igitur sola natura duce boni, felices, prudentes, fieri non possimus, animum enim corporis

Qui sine philosophia, sapientes.

Ignorantia uitiorũ parens.

poris

poris onere prægrauatum, malarumq; rerum ſcientia imbutum gerimus, ac ætatem huiuſmodi viuimus, quæ non amplius ui ſua, uti antiquis temporibus, bonorum virorum copiam producat: omnino inueſtiganda ſint nobis consilia, quibus animum corporis illecebris irretitum, à vitiis, atq; ab hac præſentis temporis colluuione, ad illam antiquam, diuinam, vereq; humanam vitam reuocemus. Id autem fecerimus, artis & exercitationis beneficio, quorum alterum labor nobis, alterum Philoſophia ſuppeditat.

Philoſophia.

Omnes humanas diuinasq; res, omnium artium ſcientiam, omnem virtutum cognitionem, Rerumpub. adminiſtrationem, omnia denique quæ cœlo terraq; continentur, vnius nomen Philoſophiæ poſsidet. Hæc animum in corpore tanquàm ergaſtulo religatum, ab omni cupiditate liberum reddit, rectè viuendi, imperandi, regendi, conſilia ſufficit. Huius ergò præceptis, inſtitutisq; futurus Senator inſtructus, non amplius incluſus, atque abditus lateat in occulto, non ſolitarium agat, non ſolus forum, templa, porticus obeat, non faciem oculosque hominum fugiat, non ignauiam ſuam, tenebrarum ac parietum cuſtodiis tegat: ſed in multitudine, conſpectuque ciuium verſetur, communemque ſocietatem hominum tuendam & ornandam ſuſcipiat. Nullius vnquàm uirtus, ingenium, prudentia, priuatis incluſa parietibus, illuſtris eſſe poteſt: prodeat neceſſe eſt, & in arenam deſcendat. nec magis priuati ciuis ſapientia vtilis eſt, quàm eſſe ſolent auari hominis, in terram defosſi theſauri, perinde enim iuuant, ac ſi non poſsideantur. Quid autem fieri tam magnum, aut tam illuſtre poteſt eſſe, quàm virtutem cuiusq; non latere in tenebris, nec obſcuram eſſe, ſed in facie hominum, in oculis ciuitatis, atque in auribus præſtantiſſimorum ciuium eſſe poſitam. Qua quisq; vita, ſapientia prudentia ſit, haud facilè cognoſci poteſt, niſi periculum fecerint homines. Sicut enim Athletam arena, curſus equum; ita Senatorem qualis ſit, res geſtæ indicant.

Solitarius Senator non ſit.

Dictum ſatis eſſe puto de Senatoris diſciplina, per quam beatus & felix, atque ad Rempub. iuſtè adminiſtrandam idoneus, euadere poſsit. Cùm enim duce ſola

natura,

natura, ea felicitas & ſapientia, non poteſt acquiri, tribuendum id eſt ſtudio & exercitationi: diſcendum etiam eſt, atque tam diù diſcendum, quàm diù neſciamus, uel, ut pulchrè Seneca, quàm diù viuamus, & quàm diù nos, quantum profecerimus non pœniteat. Nos autem in Virtutibus profeciſſe, certiſsimum illud erit argumentum, ſi cupiditates & affectiones in nobis, virtutis rationiſquę lumen oppreſſerit: ſi etiam inter homines, iuſtę, prudenter, temperatè, non tanquàm homines, ſed quaſi Dii uixerimus. Sed ad formam legendi Senatoris noſtra properet oratio; volumus enim in ea maximè ſeruari decus & æquitatem.

Quàm diù diſcendũ.

Signa uirtute præditi homi nis.

Inter omnia, quæ Rempub. eiuſq; felicitatem conſeruant, nihil eſt vtilius, nihil præſtantius, quàm viros ad magiſtratus gerendos eligere, ſumma prudentia, ſapientia, & virtute præditos; quiq; ad honores obtinendos, non potentia, non ui, non ambitione, non largitionibus, ſed lege, virtute, modeſtia, dignitate, ſibi parent aditum. Summa res eſt in omni Repub. magiſtratus, hunc enim gerentes, uiri in primis boni, ſapientes, clari, cenſentur ab omnibus & appellantur. Eſt namq; magiſtratus, optimorum ciuium, quaſi virtutis autoramentum, quod illis perſolui ſolet, propter eorum in Rempub. merita, ſummaſque uirtutes. Eſt igitur boni ciuis, boniq; uiri, in adeundo magiſtratu, Reipub. ſalutem & dignitatem, priorem ſua dominatione, & domeſticis commodis habere. Non imitandi ſunt Senatores illi Romani, Sylla, Cinna, Carbo, Marius, Pompeius, Cæſar, & multi alii: quorum ambitiones, ſeditiones, factiones, bellum ciuile ad extremùm interitus Reipub. conſecutus eſt. Nolebant illi in patria æquo iure uiuere, priuatæ gloriæ fructus, Reipub. utilitati & tranquillitati præponentes: ſcribit de Cæſare, & Pompeio Lucanus.

Electio Senatoris.

Magiſtratus præmiũ uirtutis.

Officium boni ciuis in adeũdo magiſtratu quod.

Impatienſq; loci fortuna ſecundi.
Nec quenquam iam ferre poteſt, Cæſarue priorem,
Pompeiuſq; parem.

Legibus itaque in benè conſtituta Repub. impotens hæc honorum cupiditas eſt refrenanda: quod & Romanos florente Repub. feciſſe legimus: ambitus enim reos exilio mul

Ambitus pœna.

ctabant.

Ambitio quid. ctabatur. Ambitionem uerò eam repræhendo, quæ contra leges & honestatem, uel ui, uel largitionibus, uel alia quapiam inhonesta ratione, quosuis oppugnat honores. Solent plerique uirtuti suæ diffisi, magistratum, & summos honores, Largitio corruptella magistratuum. largitionibus consequi, qua peste nihil flagitiosius, nihil per perniciosius in Repub. solet esse. Qui id faciunt, hi præ diuitiis virtutem, & honestatem spernunt, neque putant aut honori, aut uirtuti locum ullum esse, nisi ubi affluant opes: proptereaq; priuatæ, non publicæ rei curandæ incumbunt, quòd sciunt diuitiis, omnes honores & dignitates, non autem uirtuti tribui. Auaritia quæ mala inducat, i Rempub. Ex quo efficitur, ut in ea Repub. dominetur auaritia, & ingens habendi cupiditas, ex qua luxus, doli, fraudes, inimicitiæ, contemptus Deorum, legum, magistratuum nascuntur. Id quisq; amplecti solet, quod vtile, non quod honestum est, in quo acquirendo, cùm nullum uirtuti præmium uidet esse, fraude, dolis, potentia, inferiores oppugnare conatur, sicq; tenuiores in Repub. oppressi, miserè viuunt, & diuitibus seruiunt, non tam virtute, quàm potentia, luxu, fraude, dolis præstantioribus. Hi priuatam utilitatem, virtuti & honestati præferunt, omnes leges, libertatem, iura, iustitiam denique ipsam vendunt, auctionantur, prostituunt. Iugurta talium Senatorum copia, vrbem Romam aliquando abundantem, cùm uidisset, exclamando dixisse fertur: ò venalem urbem, & citò perituram, si emptorem inuenerit. Auaritia pernicies Reipub. Lacedæmoniis de diuturnitate Reipub. consulentibus, ab Apolline responsum est, Spartam nulla alia re nisi auaritia perituram; hanc fatalem prædictionem ut euitarent, omnem auri, argenti, ærisque usum è ciuitate sua eiecerunt, Magistratus virtuti non diuitiis seruire debet atq; ferream quandam, & quæ impediret magis, quàm possidentium caperet animos, commerciorum gratia, pecuniam instituerunt. Quarè cauendum est in omni Repub. ne diuitiis plus, quàm uirtuti seruiant honores, vtque hi puniantur, qui uirtutem pecuniis oppugnare conantur. Diuitiarũ nimia cupiditas, ciues & Rẽpub. corrumpit. Compendiaria est hæc ad Rempub. citò perituram via, in qua maior diuitiarum, quàm uirtutis habetur ratio: ciues enim auaritię, nõ uirtuti studebunt, ac ad cumulandas opes totos se penitus conuertent, quæ illos effæminatos, fraudulentos, alienorum appetentes, luxuriosos, & omnibus vitiis

diffluentes,

diffluentes, efficient. Prostrata iacebit uirtus, contemnet Sacerdos pietatem, Miles arma, Senator prudentiam, fidem, diligentiam, Populus disciplinam ciuilem: quibus neglectis, regnabit audacia, vis, iniustitia, luxus, omniumq; uitiorum sentina barbaries. Modus igitur & forma magistratus eligēdi tenenda est, hoc. n. pacto uirorum bonorum in Rep. delectus, uirtutisq; ratio maxima habebitur. Ac minores quidem magistratus in Repu. qua ratione & modo sint procurandi, non uidetur huius esse loci disputatio: id. n. valere debet, quod leges, communisq; omnium usus, & consuetudo, obseruandum recipit. Ex omnibus antē magistratibus, quoniam is digniorem locum obtinet in Repub. qui uocatur Senatorum: in eo namq; tanquam cardine, omnium consiliorum summa, salusq; Reipub. uertitur: omnino in eo deligendo, magna debet adhiberi cura & diligentia. Malos enim quæuis Respub. nacta Senatores, pessimè administrabitur, nec ullum in ea uestigium æquitatis, iustitiæ, religionis apparebit: fraus, dolus, iniustitia, Deorum neglectus, in principibus illis regnans, facilè cæteros imitatione sua corrumpet. Eorum uitiis qui præsunt, Respub. plerumq; mutari solent, vnde Monarchiam in Tyrranidem, Aristocratiam in Oligarchiam, Democratiam in Ochlocratiam, conuerti uidemus. In creandis igitur Senatoribus, hæc tria potissimum obseruanda sunt, ex quibus scilicet, à quibus, & quomodò eligi debeant. Primæ quæstioni, uti ego credo, nos iam satisfecisse uidemur, cùm ex ciuibus Senatores eligendos esse diximus: qui locus paulò ante à nobis est pertractatus. A quibus verò Senatores eligendi sint, & quomodò, dicendum est. In qua disputatione, reuocandas nobis putauimus & commemorandas, aliarum Rerumpu. consuetudines: his. n. cognitis, facilè demum apparebit, quod cuique Reipub. legendi genus conueniat, & quod ex his optimum, iustumq; iudicari debeat. In magistratibus omnibus, præsertim uerò Senatoribus eligendis, omnes omnium Rerumpub. populi, hæc maximè tria spectare consueuerunt, libertatem, diuitias, & uirtutem: quod autem ex his tribus, unaquæq; illarum sequi soleat, uidendum est. Qui popularis Reipub. formam amplectuntur, hi libertatem prçter alios appetere solent. nulla res

Vitiis principum inficitur respub.

In creandis senatoribus quæ spectāda.

In eligendis senatoribus tria spectari solent.

enim est alia, quæ magis illos ad popularem dominationem, stimulet & impellat, quàm dulcis libertatis desiderium. Hanc autem primùm consistere uolunt, in imperandi parendiq; vicissitudine, æquum putantes, ut omnes ciues imperent, & si hoc non possunt, ut alternis saltem uicibus, & præsint, & subsint. Itaque magistratus in ea Repub. sorte ab omnibus eligi solent, in qua certè plus temeritas & casus, quàm ratio, uel consilium ualet. Totum uerò hoc libertatis tuendæ gratia, inuentum est: cùm enim ęquales omnes haberi censeriq; volunt, tum uerò fortunæ sortisq; beneficio, id conantur efficere, ne diues pauperi, disertus infanti, potens imbecillo, sapiens stulto, uel opibus, uel eloquentia, vel prudentia, uel clientelis imponere, atq; Rempub. & communem omnium libertatem, priuatus opprimere queat. Facilius etiam multos, quàm vnum uel paucos, Reipub. bonum, vtilitatem, libertatem, conseruaturos credunt. Aequa igitur est conditio omnium, nec refert, diues an pauper, doctus sis an stultus, seruus modò non fueris. Quod enim in paucorum Rebuspub. obseruatur, ut pauci uel prudentes, uel sapientes, uel diuites, Rempub. administrent, hoc in Repub. populari aliter euenire solet: in eaq; præualent, ignobiles, pauperes, opifices, & quæstuarii. Popularem eiusmodi Rempub. apud Athenienses, duplicem fuisse legimus. vnam quidem, cuius vtcumque administrandæ summa, penes paucos uel diuites, uel prudentes erat, alteram, quæ in omnium liberorum ciuium imperio consistebat. Prior à Theseo fuit instituta, qui primus dispersum per agros populum, in ciuitatem conuocauit, potentibus persuadens, democratiam regno potiorem iudicarent, in qua populus summam rerum in sua potestate haberet, atque ipse tantum belli dux, ac legum custos esset, omnes verò cum eo eiusdem conditionis fierent. Populi totius concionem instituit, hoc solo nobiles, ab agricolis & opificibus discernens, vt nobiles rerum diuinarum cognitioni uacarent, magistratus inirent, sacra tractarent, de iure responderent, aliis se non præferrent, æqualique honore & dignitate cum cæteris fruerentur. Hic certè primus, uti Aristoteles scribit, regnum ambire noluit, sed ad populi rationem se accommo-

Libertas democratica.

Sorte cur magistratus datur.

Democratia Atheniensium duplex.

Democratiæ iustæ forma.

commodauit, talemq; Rempub.instituit, quæ omnium iudicio, non solùm communisſima, ſed iuſtisſima, & iucundisſima fuit iudicata. popularem enim Rempub. informauit, quæ non impetu & furore populari adminiſtraretur, ſed rationis iudicio cuncta moderaretur, & tam honeſtè uiuendo, quàm legibus parendo, felicitate ſua frueretur. Hanc Theſei Rempub. poſteà Draco, legibus ſanguinariis auctam, adminiſtrauit: ac deinde Solon, ſeditione uehementiq; ciuium diſcordia ad paucorum dominationem redactam, uti Plutarchus ſcribit, legibus & magiſtratibus aliquantulum mutatis inſtruxit, cenſumq; ciuium inſtituit. Poſterior Athenienſium Democratia ea fuit, quam Cliſtenes, Ariſtides, & Pericles, ac poſtremùm Demoſthenes adminiſtrauit. Hi quoniam auræ popularis amatores erant, omnes ciues exæquarunt, tribus auxerunt, ac in eas ſeruos, & peregrinos deſcripſerunt. Ex quibus Cliſtenes Oſtraciſmum adinuenit, contrà eos, qui ſapientiæ, prudentiæ, virtutisq; opinione, populari libertati poſſent obeſſe. Ariſtides exili infimæque plebi, magiſtratus gerendos adiudicauit. Pericles Senatus authoritatem imminuit, eiusque dignitatem debilitauit. Demoſtenes cùm iam in ſummam populi poteſtatem, ac licentiam incidiſſet, eam oratione ad gratiam populi compoſita aluit, atque fouit. Ariſtoteles eiusque doctor & magiſter Plato, cæterique politici philoſophi, popularem Reipub. formam, non iniuſtam eam eſſe iudicant, quæ legibus optimis inſtituta eſt, illisque obedit, & talem populum habet, qui legum morumque eſt obſeruantisſimus. Quis enim eam Rempub. uituperare poteſt, in qua quisq; legem habet, tanquàm regem & cuſtodem libertatis ſuæ: ipſius uerò legis, ipſemet eſt princeps & dominus? Huiuſmodi Reipub. formam exoptandam equidem putarem, ſi non maximis tumultibus, ſeditionibus, celeriq; mutationi eſſet obnoxia. Primùm enim vulgi naturam mobilem eſſe, & libertate immodice uti, quis neſcit? Plebs aut humiliter ſeruit, aut crudeliter imperat; libertatis etiam ineſcata uel potius exaturata dulcedine, ubi ad potentiam aliquam, uel gloriam ex rebus geſtis aſpirarit, ſuperbam ſe omnibus exhibere, primaria uideri velle, æqualitatem iniquam putare, ad odia, ſeditiones,

Oſtraciſmus.

Quę democratia iuſta.

Democratia inconſtans.

Plebis natura.

nes,ambitionesque intemperanter ferri conſueuit.Vnde ex tali Repub.effici ſolet inſolens illa plebeia dominatio, quæ Græcis, ὀχλοκρατία dicitur. Euenit etiam, ut homines opum diuitiarumque amore obcæcati,diuites in Repub. communis libertatis cuſtodes, & conſeruatores eligant, ſolos eos obeundis Reipu.muneribus dignos iuſtosque cenſentes. Horum Reſpub.paucorum potentia, uel Oligarchia dicitur: in ea enim ſummam poteſtatem gubernandi tenent ciues, rerum copia, et diuitiis affluentes. Eorum Senatores, cæterique magiſtratus, partim eligendo, partim ſorte, vel ab omnibus, uel aliquandò à paucis, creari ſolent. Et quoniam propter diuitias eliguntur,non uirtuti, ſed opibus cumulandis ſtudent, his enim honores, ſeruire ſciunt. In qua autem Repub.ſumma diuitiis veneratio, cultusq; tribuitur, in ea nihil tam ſanctum, nihil tam pium, nihil tam religioſum inuenitur, quod non auaritia, fatalis quædam omnium Rerumpub. peſtis,violare & euertere poſſit. Qui ſolius virtutis, in eligendo magiſtratu, rationem potiſſimum habere conſueuerunt:quorumque Reſpub.felicitatem ſuam virtute metitur: in regno & in optimatum ſtatu collocantur. Nam Regem eligentes, ſiue id ſorte, ſiue uocis ſuffragio faciant eum eligere ſolent, quem cæteris omnibus, prudentiorem, ſanctiorem, præſtantioremque iudicant. Qui etiam non vnum bonum, ſed multos præeſſe in Repub.volunt, ſimilem rationem in eligendo tenere conſueuerunt.Apud hos,de bonis & iuſtis viris, & in magiſtratũ ſufficiendis,non fortunæ,ſortisque ſolet eſſe teſtimonium, ſed firmum quoddam, & in animis bonorum iam pridem conceptum, de cuiuſque virtute apertum iudicium,quo nihil poteſt eſſe in honore acquirendò præſtantius: magnum enim eſt, vt ait Poeta, monſtrari digito, & dicier hic eſt. Vera demùm ea laus putanda eſt, quæ à iudicio proborum virorum profecta, nos in magnis Reipub. honoribus conſtituit. Quamobrem illa popularis vrna, cæca quædam dan dorum magiſtratuum domina credenda eſt. Vbi enim ſors & fortuna magis,quàm ratio dominatur, ibi virtuti perexiguus ſanè locus relinquitur. Nec improbo quidem ſuffragium ſortis, in Repub.libera, quod ante præcedat,vel ſubſequatur

In oligarchia magiſtratus ex quibus fiunt.

In Monarchia & Ariſtocratia magiſtratus ex qbus creãtur.

Suffragiũ apertũ melius occulto.

ſequatur, bonorum virorum de cuiuſque virtute iudicium. In qua enim Repub. virorum bonorum maxima eſt copia; in ea ſortem de cuiuſque dignitate iudicem admittere, iuſtum putandum eſt. Sic quiſque præſtantiorem in magiſtratu ſe ciuem eſſe putabit: vbi ad iudicium bonorum virorum, iudicium quoque fortunæ acceſſiſſe cognoſcet; vnde ſortiti magiſtratus, Latinis à ſortiendo dicebantur. Hanc eligendi rationem Veneti obſeruant. Talem etiam Solon Athenis, in Senatoribus quingentis eligendis inſtituerat. Ex ſingulis enim tribubus eligebantur hi, qui ad munus Senatorium obeundum iudicabantur idonei, quorum nomina in hydriam unam imponi, ac in alteram fabæ totidem albæ & nigræ coniici ſolebant: ex quibus qui albam eduxiſſet, Senator pronuntiabatur; qui nigram, quaſi repulſam paſſus, domum ſine magiſtratu redibat. Vnde Thucidides, hoc conſilium, την βυλὴν ἀπὸ του κύαμου, hoc eſt, Senatum à faba uocat. Apud Romanos totius orbis quondam dominos, pro diuerſitate temporum, uariè eligebantur ſenatores. Nam ſiue à regibus, ſiue à conſulibus, ſiue à dictatoribus, tribunis militum, cenſoribus, imperatoribus, eligi ſolebant. In his autem eligendis, nulla unquam niſi tempore Auguſti in recenſendo Senatu, ſortis & vrnæ fuit habita ratio, uirtus, fama, genus, ætas, ordo, magiſtratus ante geſtus, cenſus, & quęſtus, maximè in quoq; ſenatore eligendo obſeruabantur.

Sors quæ bona.

In Romanis ſenatoribus eligẽdis quæ conſiderabantur.

Quandoquidem uirtute nihil prius, nihil prę́ſtantius, nihil diuinius eſt: omnino in eligendis & cooptandis ſenatoribus, potiſſimum eius rationem habendam eſſe putamus: hæc enim efficit ſenatores iuſtos, fortes, & prudentes. Omnes quidem magiſtratus in benè conſtituta Repub. conuenit eſſe uirtutibus his præditos, ſed maximè eos, qui ſenatoriæ dignitatis gradum obtinent. Hi enim legum cuſtodes, libertatis moderatores, totiuſque Reipub. conſeruatores, ſunt exiſtimandi. Vt enim uitiis & ſceleribus magiſtratuum, infici ſolet & corrumpi tota Reſpub. ita corrigi & emendari virtutibus. Nec aliquando videtur tantum eſſe malum eos peccare, quantum illud, quia plurimi reperiuntur imitatores eorum. Tales enim in omni Repu. ſunt homines, quales ſunt

In cooptando ſenatore virtutis eſt habenda ratio.

principum

principum mores: quæcunque mutatio morum in principibus emerserit, eadem in populo sequetur. Pulchrè Plato nec minùs sapienter apud Ciceronem, musicorum ait cantibus & uocibus mutatis, mutari Reipub. statum: at melius quis dixerit, Regum summorumque virorum vita, uictuque mutato, mores, consuetudines, instituta, ritus, ipsam denique Rempub. mutari, atq; equidem sentio hoc perniciosius de Repub. mereri malos principes, quòd non tantum scelera effingunt ipsi faciuntq;, sed ea instillant & infundunt etiam in ciuitates, nec huic tantùm crimini sunt obnoxii, quòd ipsi mali sunt, sed etiam quòd alios pessimos efficiunt, magisq; exemplo, quàm vitiis nocent. Seuerius igitur tales puniendi sunt, quòd non solum factis, sed etiam exemplis Rempub. vulnerant. Quomodò enim cæteros ad virtutem, legesq; obseruandas hortabuntur, à legibus & recta viuendi ratione alieni? Ridebatur à Romanis Sylla, quòd cum ipse intemperantissimus esset, omnique proflueret libidine, ciues tamen ad sobrietatem, temperantiam, frugalitatem, hortari, adigere, & compellere soleret. Lysandrum quis etiam non reprændendum putabit? hic contra atque Sylla fecit, nam hæc vitia, à quibus ipse sibi temperabat ciuibus, permittebat. Lycurgus sanè his præferendus, iureque optimo laudandus est: qui nihil vnquam in alios statuit, quòd non ipse prius seruandum, ac firmiter retinendum voluerit. In Senatoribus igitur cæterisq; magistratibus eligendis, Reiquepub. præficiendis, summo iudicio, & maxima prudentia opus habent hi, quibus hanc potestatem eligendi Respub. commisit. Eos enim eligere debent, quos cæteris ingenio, prudentia, sapientia, uirtute, rebus gestis, excellere putabunt. In quibus cognoscendis, popularem illam sortem improbo; dum enim æqualitatem libertatemq; suam, eius beneficio tueri volunt, in id uitium incurrunt, ut Senatores eligant, uirtute, & nomine Senatorio indignissimos. Quare in tuenda hac libertate, curent magis id, quod suæ Reipublicæ prodesse possit, nec vicissitudinem imperandi, ad ignauos & imprudentes deferant: satis.n. quisq; æquo in Repub. iure vtitur, dum prudentioribus, sapientioribus, senioribus, viris obtemperat.

[Margin notes: Principes exemplo magis q̃ vitiis nocent. — Sylla intẽperans. — Lysander. — Lycurgus — Eligentibus Senatores quæ obseruãda. — Sors.]

Eam

Eam itaq; Senatorum eligendorum rationem optimam esse statuo, quæ à uiris sapientia, prudentia, iustitia insignibus proficiscitur: tales enim quòd ipsi virtute præditi sunt, nihil turpe, nihil iniustum, tam in se, quàm in Rempub. admittere possunt. In hac autem nostra Repub. quæ ex Rege, Senatu, & populo constituta est, dubitare possit aliquis, utrum à pluribus, an verò ab uno debeat eligi Senator? Qui plures eligendo præficere cupiunt, aut ciues omnes includunt, aut aliquam eorum partem: quorum primum popularis est Reipub. status optimatum alterum. Ex his utri potestatem sibi eligendi arrogauerint, alteros despiciant necesse est: nam populus libertatem, optimates autoritatem sequentur. Aut igitur seditionibus inuicem distrahentur, aut his depositis, lege pactouè conuenient, ut utriq; libertate gaudeant eligendi. Si id efficitur, non continuò laudandum est, in eas enim mox sicuti ante seditiones incident. Nam unusquisque virtutis suæ, prudentiæ, petitionis, iniquum iudicem expertus, & contemni se à parte aduersa credens, odiis & simultatibus Rempub. afficiet, uirtutumque ornamentis abiectis, ambitione, clientelis, largitionibus, amicorum præsidiis furens, ad petendam dignitatem accedet. quodq; uirtute non potuit, ui & potentia extorquebit. Vnde posteà boni ciues à malis opprimentur, & pro iustitia, uirtute, prudentia; dolus, fraus, uitium, iniustitia dominabitur. Periculosum est certè in Repub. magistratum à populo eligi, is enim malus iudex & iniquus, cuiusq; dignitatis esse solet, & illis sæpe, quibus salutem suam concredere uult, aut inuidet, aut fauet, non secundùm rationem iudicat, sed mouetur sæpe gratia, flectitur precibus, reueretur eos à quibus est ambitus. Deniq; si decernit, non delectu, aut scientia, iudicioùe ducitur, sed impetu nonnunquam, & quadam etiam temeritate. Non est, ut Ciceronis uerbis utar, consilium in uulgo, non ratio, non discrimen, non diligentia: semperq; sapientes, ea quæ populus fecisset ferenda, non semper laudanda duxerunt: in dandis magistratibus, studium populi solet esse, non iudicium, eblandita illa non enucleata suffragia. Hoc igitur si cœteræ Respub. uel more, uel lege, uel consuetudine retinent,

A quibus Senatores eligendi sunt.

Ab vno ne, an à pluribus senatores eligendi sint.

Populus iniquus iudex virtutis.

Populi natura.

Vulgus.

nent.

nent, à nostra Repub. prorsus remouemus, Senatoremque, uni uiro ab omnibus uirtute, sapientia, prudentia præstantiori iudicato, eligendum committimus, facilius enim unum in eligendis Senatoribus, ea omnia quæ diximus pericula, euitare posse putamus. Is autem potestatem uel à populo, uel à legibus datam habeat, non ui, non largitionibus, non potentia, non tyrannide, eam sibi usurpet. Est enim liberi populi Senatores, quibus salutem suam committit, uel ipsum eligere, uel eam potestatem, quo melius id faciat, alteri delegare: hoc Romanos obseruasse legimus, qui Senatum non populo, uti cæteros magistratus, committebant eligendum, sed uni inter omnes uita, moribus, autoritate, prudentia, & sapientia præstantissimo: Romulus quidem parens urbis illius, centum ipse primus legit, quem cęteri quoque Reges similiter in cooptandis senatoribus, sunt secuti. Exactis Regibus, propter Tarquinii superbi impotentem dominationem, eligendi hæc potestas, uti tempora Reipub. ferebant, penes diuersos, non autem plures stetit: nam uel à consulibus, uel censore, uel dictatore, uel imperatoribus, ubi ad monarchiam res eorum deuenit, eligebantur.

Senatores ab uno optimo sũt eligendi.

Maiores etiam nostri, sapienter Romanorum hunc morem, in suam induxerunt Rempublicam Regi potestate data, uti uirtutis cuiusq; solus iudex esset: eosq; in Senatores cooptaret, quos per leges, ætatem, prudentiam, nobilitatem, dignos ea dignitate iudicaret. Itaque regnum hoc, non magis Regum, quàm Senatorum uirtute creuit, nec Poloniæ tantùm, sed totius quasi septemtrionis senatus appellari solet. Regi igitur in nostra Repub. senatus eligendi ius & potestas esto: in quo eligendo, summam prudentiam, fidem, & sapientiam eius requirimus: non.n. domesticæ rei rectè stabiliendæ consiliarium aliquem, non parandis opibus œconomum, non construendis arcibus architectum; sed ad Rempub. rectè gubernandam, ciues conseruandos, leges condendas, socium sibi putabit asciscendum. Ad curanda corpora si paululum aduersa conturbentur ualetudine, doctos consulimus medicos: ad consuendas uestes, ad edificandas domos, & alia id genus, peritos etiam quærimus artifices, quantùm præstat, ad regendos populos, moderandam Rempub.

Poloniæ consuetudo i eligẽdis Senatoribus.

Poloniæ Senatus.

pub.uiros quærere & eligere tales,quorum prudentia ciuitates quietas effectura sit? Itaq; in eo cognoſcendo,omnes ingenii, ſapientiæ,diligentiæq; neruos intendat oportet.Neq; ſolum eas res,quas ante diximus, in eo ſibi proponat inſpiciendas, ſi ſcilicet ciuis honeſtè natus educatusq; eſt,aut his artibus & diſciplinis imbutus, quæ homine ciuili,& ad regendam Rempub. nato dignæ iudicantur:ſed etiam quibus moribus, qua fama, genere,ætate, uirtute ſit ornatus. Cognoſcendum etiam, an magiſtratum aliquem ante geſſiſſet, & quam in eo rectè adminiſtrando operam, fidem, prudentiam, diligentiam, Reipub. præſtitiſſet.Ex magiſtratu enim aliquo primùm geſto, Senator eligendus eſt: quod & Romæ fieri ſolebat,nam magiſtratus patrum erat ſeminarium.Quid multa? Reipub. vtilitatem ponat ob oculos: facilè enim hac ratione cognoſcet,quibus uiris & ſenatoribus indigeat, quantum quiſq; ad eam emolumẽti adferre poſſit,quid ualeat humeris,quid ferre recuſet. Hæc omnia in quo conſiſtant,quæuè Senatoris in Repub.conſeruanda prudentia, quod item officium eſſe debeat, dicere perſequamur. Ex his enim,quę Regi in optimo Senatore cognoſcendo ſpectanda ſint, quæ item Senatori in adminiſtratione Reipub.obſeruanda & retinenda, ſatis apparebit.Sed quoniam primæ inſtitutionis magnitudo ſatis creuit, commodius erit,in altero libro,de his rebus deinceps exponere, ne aliqua propter multitudinem literarum, poſſit animum lectoris defatigatio retardare.

In Senatore eligendo q̃ ſpectanda.

Magiſtratus Senatorum ſeminariũ.

FINIS PRIMI LIBRI.

LAVRENTII
GRIMALII GOSLICII
De Optimo Senatore
LIBER SECVNDVS.

QVAE Senatoriæ dignitatis incunabula ſint, quot Rerumpub. genera, quæùe omnium optima ſit iudicanda Reſpub. primo uolumine ſatis vt opinor abundè diximus. Fundamenta iecimus etiam ciuilis felicitatis, qua nihil eſt in hominum ſocietate melius, nihil præclarius, nihil diuinius. Nunc eas uirtutes, quæ non tyroni iam, ſed quaſi ueterano,& in magiſtratu conſtituto Senatori competunt, in hunc librum tranſtulimus, ut in eo perfectam gubernandæ Reipub. ſapientiam, ipſi perſoluamus.

Noſſe debet in primis Senator,eius Reipub. formam,cuius Reipu. cognitio Senatori neceſſaria. regendæ conſiliarius eſt, & adminiſter effectus: quos homines, quas leges,quam libertatem habeat: quo more utatur, quaùe diſciplina, uſu, & conſuetudine regatur: Nec ſolùm eas rationes tenere debet, quibus ornari, augeri, & conſeruari posſit, ſed etiam eas, quibus vel attenuari, vel labefactari, uel euerti ſoleat. Quemadmodum nauarchus, non is tantummodò prudens dicendus eſt, qui proſperæ ſecundæque nauigationis callet euentus, uerùm etiam qui tempeſtatum, uentorum, procellarum, uim & naturam cognoſcit, ingruentiaque pericula euitat, ac nauem fluctibus & tempeſtatibus turbatam, in tranquillisſimum ſcit reducere portum,ſaluam & incolumem: ita Senatoris prudentia, pacato tranquilloq́ Reipub. ſtatu, laudem illa quidem meretur, ſed non tantam, quantam mereri ſit is iudicandus, qui eam ſeditionum uentis agitatam, maximisq; turbinibus & fluctibus diſſenſionum afflictam, in ſerenam & optatam

tran-

tranquillitatem restituisset, ciuesq; sedatos, lenes, pacatos, & omni perturbatione carentes, effecisset. Laudatur Theseus, quòd Athenienses rudes adhuc & simplices, ac per agros palantes, in ciuitatem coegisset, legibusque seruandis assuefecisset: sed magis laudandus est Solon, qui ciuitatem seditione bellisq; ciuilibus distractam, in unum reduxisset, legibusq; & magistratibus firmauisset. Nec minùs celebrandum esse puto Camillum, qui Romam à Gallis euersam restaurauit, quàm Romulum, qui eam ædificauit. Nonne præferendus etiam est Cicero Fabiis, quòd ille Romam ex scelerata manu Catilinæ eripuisset, hi pro patriæ libertate, familiare bellum contrà veientes suscepissent? Pompeius amauit Rempub. Cicero seruauit; adeò ut diceret Pompeius, nisi Cicero eam seruasset, se non habiturum fuisse locum, ubi triumpharet: aliis benè gestæ rei, sibi conseruatæ gratiam deberi, gloriabatur aliquando Cicero. Scipionis Aphricani uirtutes, quis cum Cæsarum Pompeiorumùe uirtutibus comparandas putabit? magnas isti res pro patria gesserunt, at ille confractam debilitatamque patriam, & quasi uno die duraturam, Annibalisq; victricibus armis seruituram, non modò defendit, sed propagauit etiam & auxit; uerum est enim illud.

Thesei & Solonis cõparatio.

Camilli & Romuli comparatio.

Cicero & Fabii.

Põpeius.

Scipionis & Cęsaris cõparatio

Non minor est uirtus, quàm quærere, parta tueri.

Cyrus in acquirendis regnis felix, in retinendis infelix: sciuit artes quærendi, retinendi nesciuit. Gratiores profectò nobis esse debent hi dies quibus conseruamur, illis, quibus nascimur: atq; melius de genere humano merentur illi, quorum prudentiam salus hominum, quàm quorum satus conceptusùe consequitur. Talem igitur in Senatore requiro prudentiam, quæ non solùm præsentibus rebus consulat, sed etiam futura prospiciat, remque publicam omnem animo complectatur, eius casus, pericula, uicissitudines, inclinationes, diligenter expendat; hac enim ratione facilius mala, quæ Rebuspub. solent accidere, aut antè præuisa auertet, aut ingenerata euellet & extirpabit. Neque illi prætereunda est, uariarum Rerumpub. cognitio; earum enim exemplis instructus, tàm leges, quibus illæ gubernentur, quàm mores, quibus utantur, commutentur, emendentur,

Cyrus.

Variarum Rerump. cognitio utilis.

K 2 conser-

conſeruentur, exploratos habebit: quæ item cuiusque conſtitutio, qui publici conſilii ordo, quod ſingulorum officium, quæ libertas, dignitas, autoritas, iuriſdictio. In hac autem noſtra Repub. cùm ſit medius inter Regem & populum conſtitutus, quæ ſit Regis maieſtas, amplitudo, iuriſdictio; quod item populi ius & libertas, ſcire omnino debet. Certant hæc duo plerunque inuicem, Rex & populus, quorum alter immodicam libertatem, alter tyrannidem ambire conſueuit. Intemperans autem horum contentio Rempub. affligit: quorum ſi uicerit unus, perſonam induit Tyranni, ſi uincitur, tot millia Tyrannorum, quot capitum naſcuntur. Crudelior autem ſemper eſt Tyrannis multorum, quàm unius: huic enim finem imponit, uel mors, uel exatiata dominandi libido: populi uerò tyrannidem alit, inſolens & inſatiabilis licentia, quæ uirus ſuum, ad poſteros etiam longè tranſmittit. Itaque Senatus, debet in conſeruanda æqua & communi omnium libertate, ſummam diligentiam adhibere: ex eoque medio loco, quaſi ex aliqua ſpecula, utriuſque ſaluti proſpicere, maximeque curare, ne quod unquam propter ſeditiones huiuſmodi & contentiones, capiat Reſpub. detrimentum. Eſt enim quaſi iudex, inter uim & metum, libertatem & ſeruitutem, Regem & populum conſtitutus. Artes habere ſolent Tyranni, quibus ſe contrà libertatem populi armare conſueuerunt. Primùm enim uiros probos & ſapientes, quiuè authoritate in Repub. ualent, (eſt enim boni uiri uirtus, cuiq; Tyranno ſuſpecta.) è medio tollunt, hiſque ſublatis, cæteros uel metu, uel ui, ad ſeruiendum compellunt; ipſi deſertores legum & iuſtitiæ efficiuntur, omniaque ad arbitrium & libidinem ſuam adminiſtrant. Tale quondam Periander Thraſibulo conſilium dedit, ut ſpicas eminentiores mutilaret, hoc eſt, uiros nobiliores Athenienſium trucidaret. Hunc ſimili aſtu eſt imitatus Sext. Tarquinius L. Tarquinii filius. cùm enim ad Gabios in fraudem potiundi imperii, ſpecie profugi, miſſus à patre abiiſſet, eorumque conſuetudinem & amicitiam, quantùm ſatis putaret, ſibi conciliaſſet: miſit ad patrem, quid ſe facere iuberet: at pater ſimulato reſponſo, legato in hortum deducto,

Senator medius īter Regē & populū.

Tyrannis multorum crudelior eſt quā unius.

Artes Tyrannorū.

Periander

Tarquinius.

eo præsente summa papaueris decussabat, quo consilio filius posteà intellecto, primores Gabiorum trucidauit, eorumque Rempub. & libertatem, per uim iniustè occupauit, Solent præterea Tyranni prohibere, ne ciues inter se societatem ineant, ne congressus, colloquia, conuentus, conuiuia celebrent : ne honestarum disciplinarum studiis incumbant. Factiones etiam, & discordias, inter ciues disseminant, ut odiis & simultatibus priuatis intenti, bellis & seditionibus se conficiant, pauperesque efficiantur : egenis posteà tributa per causam belli gerendi imperant, uti ciues diuitiis omnibus exuti, paupertateque enecti, gerant animos exiles, ad libertatem communemque salutem defendendam. Hæc & alia multa nosse debet Senator, ac ne aliquando contingant, Remque publicam affligant longè antè præuidere. Regis officium sciat esse, non suæ, sed publicæ ciuium utilitati consulere, legibus parere, ius & libertatem populi seruare, Senatus authoritatem & dignitatem defendere, reuereri, obseruare. Regnum enim, propter uirorum bonorum præsidium, contrà sceleratos & improbos homines est institutum, huicque summa potestas concessa est, ut uindex iniuriarum, custos libertatis, ac iudex cuiusque uirtutis & uitiorum esset. Bonus igitur Rex, curam habere debet eorum, quibus imperat, non aliter, quàm gregis sui pastor, vt scilicet beati sint & felices. Regem Agamemnonem Homerus pastorem populorum uocat, quem imitatus Plato, eundem quoque pastorem, & generis humani curatorem, appellare consueuit. Imperare debet etiam populis, non tanquam dominus seruis, sed velut pater liberis. Quod ergo bonorum parentum officium est, vt nonnunquam obiurgare liberos suos, aliquando blandiri, monere, quandoque corrigere & uerberare soleant: sic Regem erga subditos se exhibere decet, ut non magis Reipub. quàm populi conseruandi causa, aliquando seuerum, nonnunquam mitem, placabilemque se præstet, communemque omnium utilitatem, tanquam filiorum pater, tueatur & amplificet. Hæc est inter Regem & Tyrannum differentia, quòd ille publicę communisq́; , hic priuatæ utilitatis curam habet. Finis Tyranni voluptas est,

Regis officium.

Rex cur institutus

Regis & Tyranni differẽtia.

Regis

Regis uerò honestas. Diuitiis excellere Tyrannicum est, honoribus Regium. Custodes è ciuibus electos Rex habet, Tyrannus externorum præsidiis stipatus esse solet. Alphonsus Aragonum Rex, interrogatus aliquando, quos ex ciuibus haberet charissimos, eos, nquit, qui mihi magis ne quid accidat mali, quàm me metuunt; optimo quidem iure, metum enim odium consequitur. Rex igitur non magis armis, quàm ciuium amore, fide, beneuolentia, munitus esse debet. Est etiam iudicandus, publici consilii minister, legum defensor, iuris custos, & libertatis communis conseruator. Quæ omnia, vti melius efficiat, Senatus consilio semper adhærere, eumque quasi parentem amare, obseruare, colere debet. Prudenter Traianus, orbis ille præstantissimus Imperator, Senatum patrem semper appellabat. Sicut enim pater filio, ea quæ fore putat utilia prædicit, ita Senatus Regi, quomodò Respub. conseruari, quibus legibus, quouè iure administrari debeat, consilium præstat. Hæc & alia plura, quæ ad Regis officium pertinent, quæ præterea uel legibus, uel usu, vel consuetudine sunt recepta, Senator omnino scire debet. Popularis ordo plerumque mobilis esse solet, propter ætatum diuersitatem. Cùm enim inter eos, partim senes, partim iuuenes, partim medii sint, fit ut inter se dissentiant, atque pro arbitrio uoluntateque sua, iure & libertate vtantur. Et quia liberi sunt, quisque uitæ morumque suorum architectus est. Hanc autem libertatem putant esse, si omnes quod uolunt, quodque libeat faciunt. Morum diuersitas, voluntatum inter eos producit uarietatem, ex qua uarii sensus de Repub. lege, libertate nascuntur, quos deinde odia, simultates, seditiones consequuntur. Vnde non omnes perequè ergà Remp. sunt affecti. Qui honestè educati, & natura probi, liberisque disciplinis instructi sunt, non furiosi, non uoluptarii, non mulierosi, non libidinibus dediti: hi omnes legum, iuris, concordiæ, societatisque ciuilis obseruantissimi existunt, à maiorumque institutis, uirtute, fide, religione, gloria, ne latum quidem unguem, vt dicitur, discedunt; hæc enim omnia à maioribus tanquam relictam hæreditatem obseruant & retinent. Tales autem boni ciues in Repub. sunt intelligendi. Cæte

Alphonsi dictum.

Traiano senatus loco patris erat.

Popularis ordo cur mobilis & inconstās.

Libertas popularis

Qui veri ciues in repub.

r um

rum quorum ſtultitiam fouit domeſtica licentia, quique domi ſuæ nati, nihil unquàm foris illuſtre, nihil magnificum, nihil nobile uiderunt, geſſerunt, ac ne audierunt quidem: hi ſeditioſi, callidi, peſtiferique ciues ſunt iudicandi. Qui tametſi prudentes, concordes, modeſti eſſe neſciunt, bonorumque imitationem contemnunt, ciues tamen egregii dici & haberi uolunt. Et ne flagitioſi, & ad rem nullam nati putentur, nouas artes quærunt, quibus nomen ſibi, gloriam, laudemque comparent. Vnde plerunque accidit, ut libertatis patrocinium ſuſcipiant, publicè concionentur, debachentur, ſacraque miſceant profanis. Et ſi cæteros lingua & ingenio ad ſeditiones excitandas nato, ac educato ſuperant: mox ſe duces imperitis ultrò offerunt, leges, religionem, fidem emendare ac corrigere uolunt, contrà Regem, Senatum, bonos & religioſos ciues conſpirant, atque omnem Rempub. renouare conantur. Tales Græcis δημαγωγοί, Latinis plebicolæ dicuntur. Hi uel propter ſceleris commiſsi pœnam, libertatis defendendæ titulo ſe muniunt, & nouas turbas, mutationesque in Repub. quærunt: vel propter inſitum animi quendam furorem, diſcordiis ciuium: & ſeditionibus ſe oblectant aut propter bona paterna, resque domeſticas implicatas, vel turpiter & intemperanter amiſſas, communi malunt incendio, quàm ſuo deflagrare: & cùm ſibi uident eſſe pereundum, cum omnibus potius, quàm ſoli perire uolunt. Tales Romæ erant Gracchus, Clodius, Catilina; Athenis Cliſtenes, & alii multi.

Ciues mali qui.

Ciuiũ ſeditioſorũ mores.

Plebicolæ

Quemadmodum noſtræ Reipub. corpus, ex trium ordinum coniunctione, eſt conſtitutum, quorum omnium concentus & temperamentum, Rempub. optimam efficit & feliciſsimam: ita ſi corpus hoc diſſociatum & diſtractum extiterit, Rempub. omnium aliarum teterrimam & infeliciſſimam reddit. Cæteræ namq; Reſpub. uni ſunt obnoxiæ mutationi, eo quòd ex una & ſimplici compoſitæ ſunt adminiſtratione. At noſtra quia mixta eſt, & ex tribus compacta, tot etiam conuerſionibus & inclinationibus erit ſubiecta. Si enim Rex officio ſuo abutetur, unus erit in Repub. Tyrannus: ſi Senatus, Dymœſtæ multi, Tyranniq; fient: ſi popu-

li

li uis, utriusque superabit potentiam & authoritatem, plurimos & omnium flagitiosissimos habuerit Respub. Tyrannos. Itaque si in ea Repub. cuiusque ordinis officium, libertas, iurisdictio, dignitas, autoritas, non erit certis alligata, & circumscripta legibus, & tam metu quàm pœna singuli ad honestè uiuendum, legesque seruandas compellantur, frustrà bonis requies in ea Repub. quærenda est. Proprium igitur munus Senatoris est, ut Ciceronis uerbis utar, intelligere se gerere personam ciuitatis, debereque eius dignitatem & decus sustinere, seruare leges, iura describere, & fidei suæ commissa meminisse; priuatum autem oportet, æquo & pari cum ciuibus iure, uiuere, neq; submissum & abiectum, neq; se efferentem: tum in Repu. ea uelle, quæ tranquilla, & honesta sunt; sic enim quisque boni & priuati ciuis officium explebit. Eius etiam interest, libertate modicè uti, temperatam eam, prout Quintius apud Liuium dicit, salubrem & singulis & ciuitatibus esse: nimiam & aliis grauem, & ipsis qui habeant effrenatam & præcipitem. Ad comprimendam uerò malorum ciuium licentiam, adhibenda legum est seueritas: interest enim Reipub. ne propter malorum impunitam licentiam, boni aliquid à malis patiantur. Bonorum enim non malorum Respub. putanda est. Cæterum fieri non potest, quin aliquando seditiones, aut motus in Repub. exoriantur: uerè & sapienter dixisse uidetur Annibal, uti Liuius scribit, Nullam magnam ciuitatem diù quiescere posse, si foris hostem non habet, domi inuenit, ut præualida corpora, ab externis causis tuta uidentur, sed suis ipsa uiribus onerantur. Homines præterea cum simus, uti Comicus pulchrè, humani à nobis nihil alienum putamus. Sapientes simus, prudentes, boni, homines tamen, naturæ stimulis minus ad uirtutes, quàm uitia procliuiores; nulla ciuitas etiam est, quæ non & improbos ciues aliquando, & imperitam gentem habeat. Si quando igitur fluctus harum in Repub. turbarum consurrexerint, Senatoris est, qui in hac tempestate populi iactatur & fluctibus, uti Cicero suadet, ferre modicè populi uoluntates, allicere alienas, retinere partas, placare turbatas, maximeque curare, ne mali superiores, ulla in re aliquando existant. Conniuere & dissimulare quandoque

Senatoris officium.

Priuati ciuis officiū

Libertas tēperata salubris, nimia grauis.

Licētia ciuiū quō reprimatur.

Magna ciuitas seditionibus obnoxia.

In seditionibus reprimēdis senatori quę tenēda.

doque bonum est, cum quis per errorem non ex uoluntate peccat. Cæterum his parcere, qui contrà Rempub. morumque honestatem, & leges, turpe aliquid & sceleratum voluntarii admittunt: non modò pernitiosum Reipub. sed exitiosum & flagitiosum putandum est. In tanto igitur impetu uoluntatum, & motu temeritatis comprimendo, summam sapientiam & diligentiam senator adhibeat. Illa uerò maximè Platonis, apud Ciceronem, duo præcepta teneat, alterum quidem, ut utilitatem ciuium sic tueatur, ut quidquid agat, ad eam referat, utilitatum oblitus priuatarum: alterum ut corpus Reipub. totum curet, ne dum partem aliquam defendendam suscipit, alias deserat. Qui unum aliquem ordinem in Repub. defendunt, seditiones & odia in Rempub. inducunt, quæ pestes eam labefactant & euertunt. Non magis igitur Regis studiosus sit, quàm populi, nec populi magis, quàm optimatum, nec diuitum quàm prudentum, & aliorum id genus. Ea res Athenienses discordiis afflixit & lacerauit, Romanos ad seditiones, tumultus, secessiones, bellaque ciuilia perduxit. In omnibus igitur obseruet æqualitatem, hæc enim & Reipub. salutem, & ciuium beneuolentiam, amorem, pacem conciliat. In qua Repub. perexigua æqualitatis habetur ratio, in ea querelæ, contentiones, inimicitiæ nascuntur: id uerò fit, quando scilicet æqualis non æquabilia, aut inæqualis æquabilia consequitur. Aqualis æqualem delectat, & pares cum paribus concordes sunt, ut dicitur. Non igitur qui diuiti is, aut genere superiores sint, priores haberi debent, nec æquales qui pari libertate sunt: sed qui uirtute cæteris præstant, hi superiores, hi etiam æquales habendi sunt: æquales quidem æquabilitate iuris, uel numero, uti Arithmetici dicunt: superiores uerò dignitate, quæ potissimum in honoribus distribuendis, reddendisque consistit: quo quis enim maior est uirtute, eo maiore indiget honore & gloria. Et hoc æquale, quia ratione & iudicio metiri solet, Geometri cum dicitur. Vtramque igitur æquabilitatem Senatori seruandam censeo. In reddendo quidem iure, & conseruatione libertatis, æqua omnium est habenda ratio, quos enim lex exæquauit, eos pari iure & libertate uiuere,

Dissimulatio quando vtilis.

Præcepta Platonis.

Aequalitas i Rep. necessaria

Aequalitas in quo consistat.

Aequalitas duplex

nec plus uni dare, quàm alteri detrahere iubet. Eius æqualitatis percipiendæ & obseruandæ, facilis est ratio, definita enim legibus est in quaq; Repub. eius conditio, ut scilicet quisq; suum obtineat, quod illi uel iure, uel more, vel pacto debetur. In cuius obseruatione cauendum est, ne aut census, aut potentia, aut genus præualeat, sed ut peræquè pauperes ac diuites, nobiles & ignobiles iudicentur. Cæterum æqualitas illa, quæ à rationis iudicio proficiscitur, propter quam superiores cæteris, & honoratiores, dici & haberi uolumus, non ita facilè perspicitur. De uirtute enim cuiusq;, dignitate, sapientia, honoribus iudicare, diuinis non humani est ingenii. Fallimur plerunq; & decipimur specie recti, nec alienorum æqui solemus fieri iudices. Hoc opus igitur, hic labor est cognoscere, & Iouem maximum potius in eo, quàm hominem se præstare. Ad summam, nulla alia uirtute magis, quàm ea, salus Reipub. conseruatur. Hæc enim si uera iudex honorum, & virtutis cuiusq; (est.n. huius censura) extiterit, & sciuerit etiam, quibus Remp. committere, quibus non item, quos amare, quos odisse, quos præmiis afficere, quos punire debeat, tranquillissimam ciuitatem effecerit: sin minus, omnium sceleratissimam, corruptissimam, & teterrimam. Propterea in Repub. populari, quoniam plebs rudis est & imperita, nec raciocinatione & iudicio ullo est prædita, sorte tàm præmia, quàm pœnas ciuibus distribuit, Deo ab omnibus inuocato, ut iustam sortem cuique attribuat. Sed quoniam sortis temeritas fortunæ magis, quàm rationi seruit: sapientiam & prudentiam humanam propterea in æqualitatis conseruatione, non fortunam, iudicem admittamus. Qua Senator ubi præditus fuerit, facilè in omni re quid deceat inuestigabit. In quo quidem, optimi patris familias officium imitabitur. Quemadmodum enim hic multos in familia habens ingenuos, alium propter ætatem, alium propter virtutem, alium propter conditionem præfert: ita hic in Repub. virtutis, ætatis, conditionis, ordinis cuiusq; rationem habebit. Ius etiam populi & libertatem cognoscat: quam populus in eo potissimum consistere putat: Magistratum in Repub. posse gerere, leges condendi & corrigendi potestatem habere, libera

In æqualitate arithmetica quæ cauenda.

Aequalitatis Geometricæ difficilis cognitio.

Aequalitas conseruatrix Reipub.

Cur in Democratia sorte omnia pôderentur.

Aequalitatis inuestigâdæ ratio.

Ius & libertas populi i quo consistat.

voce pro libertate, lege, uita, iniuriis uti: sine lege non capi, non in ergastulum & carnificinam duci, non uinciri, non iudicari, non spoliari diuitiis iniuste, non soluere tributa sine causa, Magistratui contra leges dato non parere, eumque monendi iure gaudere: non iniuria à potentioribus lædi, non ui opprimi: omnia uelle & facere, præter ea, quæ ius fasque prohibet: Leges & libertatem, contrà Tyrannos defendere, consiliorum participem esse; summum in Rege imperium, summum in Senatu consilium putare. Quando enim Senatus publici consilii dominus erit, omniaque, quod is decreuerit, à cæteris ordinibus obseruabuntur: tum illud optimum fuerit temperamentum libertatis & æqualitatis in ciuibus, cùm potestas penes populum, autoritas penes regem, consilium penes Senatum extiterit, maximè uerò, si legibus in omni re parebitur. Curandum est præterea Senatori, ne seditionibus ullis unquam Resp. distrahatur: calamitosam.n. miseram, & infelicem in seditionib. uitam hominum esse. Nihil diuinum, nihil humanum, nihil sanctum aut religiosum est, quod non seditio contaminet, perturbet, euertat. Hæc sanè venenum est omnium Rerumpu. & maxima imperia, minima mortaliaq; efficit. Causæ autem seditionum in omni Repub. solent contingere plures, quàm eas mens & ratio possit humana inuestigare. Quare uigilandum est, manibusque ut aiunt & pedibus incumbendum, ne labes exorta, serpat in dies magis ac magis. Reconciliandi sunt eorum animi, qui multum in Repub. possunt: excellentium enim uirorum discordiæ, totam post se trahunt Rempub. Ex paruis initiis, magni plerunq; & calamitosi contingunt euentus. In seditionibus autem componendis, duo maximè sunt obseruanda: Quomodo scilicet sunt animati & incensi homines ad seditiones, & quarum rerum causa. Accidit enim ut uel furore, uel cupiditate, uel metu, uel iracundia, uel id genus cæteris affectionibus commoueantur; aut propter auaritiam, lucrum, contumeliam, iniuriam, contemptum honorem: aliquando propter religionem, uti Romæ, quando Aethruscorum noua religione ciuitas erat infecta, uti etiam in Germania, Gallia, Boemia, accidisse uidimus: quæ regna seditio ex mu-

Seditiões è Repu. exterminandæ.

Seditio, reipub. venenum.

Seditiones qua ratione exterminentur.

Causę seditionũ.

tata religione concitata, uehementer afflixit. Fiunt etiam ſeditiones, cùm aliqua pars ciuium excelſiorem & ampliorem locum, dignitatemuè eſt in patria conſecuta; ſecundoque alicuius rei euentu elata, reliquis ſe præponere ſtudet; uti apud Athenienſes Areopagi concilium: apud Argiuos, nobiles: quod bello Lacedæmonios uiciſſent, popularem ſtatum delere conſtituerant, Syracuſis etiam plebs belli Athenienſis ſucceſſum moderatè ferre neſciens, Ochlocratiam, ex Democratia arripuit. Romæ quoq; Senatus dignitatem, plebs moleſtè ferens, multas ſeceſſiones fecit, ad extremùm Tribunos creauit, quorum furor & inſolentia, Senatus autoritatem imminuit, & Rempub. turbis ſeditionibusque afflictam, ad extremum euertit. Solent etiam eſſe ſeditiones, quando plures in Repub. magiſtratus unus occupat, quæ res in omni ciuitate pernicioſa ſolet eſſe, cæteri enim priuantur honoribus,& indigni iudicantur. Vnum igitur quiſque gerat magiſtratum, ſic enim multi pro Repu. vigilabunt, pluresq; inueniuntur,qui pro eius incolumitate ſaluteque, operam diligentem nauabunt. In paruis Rebuſpub. utile quandoque eſt, ut vnus plures magiſtratus gerat;at in magnis ea res,plerunque ſeditiones inducere ſolet ingentes. Itaque prouideat Senator, in omnibus quidem rebus, maximè uerò in ſeditionibus extirpandis, ne quid præter inſtituta, leges, moresq; fiat, paruiſque rebus, & nunc demum exorientibus occurrat, malum enim latenter obrepit, & ubi uires acceperit, non ita facilè poteſt extirpari. Omne malum naſcens, dixit quidam, facilè opprimitur,inueteratum fit plerunq; robuſtius.Non debet etiam fidem habere, & ne habeatur curare commentis, callidè ad populum circumueniendum excogitatis, quod plerunque in Rebuſpub. facere ſolent, auræ popularis captatores, duces, & aſſentatores; qui ut mutationem aliquam inducant, nihil non tentare audent, ut uoti deſideriique ſui compotes efficiantur. Ex quo in bonorum perniciem conſpirant, ſuaque uitia, populi audatia & temeritate obtegunt. Quorum furoris & inſolentiæ flamma, niſi extinguatur, eo uſque ſolet prorumpere, ut totam Rempub. ſuo incendio conſumere poſſit. Summum quendam hominem, & planè

diuinum,

Tribuni inſolentes Reipub. fax.

Magiſtratus plures an unus debeat gerere.

Senatoris officiũ in ſeditionibus euellẽdis.

Populares & ſeditioſi.

diuinum, à nobis expoſcit Reſpub. in quo ſuam felicitatem, quietē, ſalutem reponat, & quo duce adminiſtratoreq; nixa, omnia pericula, ſeditiones, diſcordias, mutationes, inclinationes ſuperet, felicemq; ſemper & beatam ſit pacem, & tranquillitatem habitura. Qui igitur talis eſſe uolet, quattuor his præditus ſit oportet, ut prudens ſit, iuſtus, fortis, temperans: In his enim quattuor tanquam cardinibus, omnes cæteræ uirtutes uertuntur, omnes humanæ res & actiones, omnia dicta & facta, ex his tanquam fontibus proficiſcuntur. Senatori perfecto quattuor ſunt neceſſaria.

Magna quædam res eſt, nec ſcio an ulla maior eſſe poſſit, in rebus humanis prudentia: ſine hac enim, non modò uirtutes ullæ rectè exerceri, ſed ne compræhendi quidem, & intelligi poſſunt. Prudētia Vnde Socrates, quamuis diſſentiente ab eo Ariſtotele, uirtutem omnem prudentiam uocabat, melius ut opinor, ſi abſque prudentia uirtutes neutiquam eſſe, nec ullo modo ſtare poſſe dixiſſet. Prudentię magna vis Bion Boriſthenius, tantùm inter alias uirtutes, prudentiam excellere putabat, quantùm aſpectus cæteros ſenſus ſuperat. Senibus uerò eam ineſſe dicebat, non minus atque iuuenibus robur & fortitudinem. Quare ſenatorem noſtrum, hac omnino uirtute præditum eſſe volumus: Prudēs ſit Senator. nihil enim dignum laude ſua & ætate, dixerit feceritùe, quod non prudentiæ ſale, uelut condimento aliquo perſperſerit, & condierit. Hæc autem prudentia, quæ ſit, & in quo conſiſtat, neceſſarium uidetur, ut dicamus. Prudentiam à prouidendo Latini dixerunt, quod per eam animus & futura præuideat, & præſentia diſponat, & præterita memoria teneat. Prudentia vnde dicatur. Nam qui de præteritis nihil cogitat, uitæ obliuiſcitur, qui futura non proſpicit, multis periculis obnoxius eſt, in omniaq; malè cautus incidit. Eſt enim prudentia rerum bonarum & malarum, & utrarumque, ut Cicero ſcribit, ſcientia, poſita tota in delectu & cognitione rerum expetendarum & fugiendarum. Et ut Ariſtoteles ſentit, habitus eſt, perfectæ rationi copulatus, ad res gerendas aptus, ac in his occupatus, quæ homini bona uel mala contingere poſſunt. Prudentia quid? Vnde theorica ſapientia, à prudentia differt, quod illa contemplationis ſpatia non egreditur, hæc in actionibus rebuſque humanis tota deliteſcit. Sapientiæ & prudentiæ differētia.

tescit. Hæc præterea, in bonorum suorum finibus defendendis, consilio & fortuna opus habet, illa ne consilio quidem eget, in certis enim & non nutantibus scientiis uersatur. Vnde Geometras Mathematicos, Physicos, & solitarium Philosophorum gregem, eruditum quidem illum, & sapientem, nòn uerò prudentem esse uidemus: & Diogenes, Zeno, Crates, Chrysippus, Carneades, Democritus, Metrocles, Aristippus, Anaxagoras, Thales, sapientes, hi non prudentes fuerunt. Eorum enim philosophandi ratio fuit alia, quàm ea quæ est ueræ prudentiæ; utilitatem isti suam & hominum ignorabant, in reconditis illis & difficilibus scientiis semet oblectantes; quæ licet magnæ sunt, tamen inutiles, non enim humana bona attingunt: prudentia uerò in bonis hominum, de quibus deliberari possit uersatur. Qui si itidem mores hominum, res & actiones non abhorruissent, seque ad Respub. gerendas contulissent, prudentissimi omnium proculdubio habiti fuissent. quod sanè fecerunt, Pericles, Solon, Lycurgus, Plato, Demosthenes, Cato, Cicero, & alii. Vera prudentia à ratione perfecta proficiscitur, hanc ubi senator uel à Philosophia, uel à disciplinis ciuilibus, uel ab usu rerum acceperit: futura prospicere, præsentia sapienter & optimè administrare, & ubi res agatur, uentumq; sit in discrimen, rem subitò expedire, & consilium ex tempore dare poterit. Duo præclarissima Plato, in uita hominis esse dixit, uirum prudentem omnia nosse, & seipsum cognoscere. Hac igitur tam excelsa, tam magna, tam diuina uirtute, Senator sit ornatus & cumulatus: Sine hac enim nulla ratio, nulla uirtus, nulla actio, nulla cogitatio bona unquam esse potest. Prima prudentiæ vis hæc est, vti sapientissimi perhibent, sibi sapere: Prudens namque vir, rebus suis inprimis benè consulat necesse est, cæteroqui stultus vocabitur, in rebus suis rectè administrandis consilio carens. Sub prudentia continetur, rei familiaris & domesticæ benè curandæ ratio, legum condendarum scientia, ciuilis prudentia, consultandi & iudicandi peritia. Vnde prudentiam in suis rebus, domesticam Cicero, in publicis verò, ciuilem appellat. In his omnibus rectè percipiendis, in esse oportet ueri &

Philosophi Theorici sapientes nō prudentes.

Prudentiæ origo.

Duo in uita præclarissima.

Prudētiæ vis.

Quæ continentur sub prudētia.

Prudētia duplex.

ri & insti indagationem:propria enim prudentiæ veritas est: à qua si discedimus,falsa, scelerata, & iniqua omnia quæ dicentur agenturùe, futura sunt. Proinde quicunque prudenter,& acuta mente perspicit, quid in vnaquaque re deceat,quodque uerissimum sit, eaque celeriter & acutè indagando videt & explicat, is mea sententia prudens iudicari debet. Vt autem Senatoris prudentia, in rebus omnibus sapienter et verè inuestigandis, habeat certos quasi fontes, ex quibus omnem indagandæ veritatis rationem hauriat, duos hosce sibi,ad quos confugere possit proponat, quorum primus honestatis, vtilitatis est alter. Siue quid enim priuatum,siue publicum,siue commune, dicturus,acturusùe est, illud ad honesti,vtilisùe rationem, tanquam scopum & metam aliquam,referat.Omnes res, quæ percipi ratione, & exprimi oratione solent, his duobus tanquam terminis circumscribuntur.Acrem verò & acutam, percipiendæ honestatis & utilitatis indagationem requirimus, ne fortè mens affectionibus & cupiditatibus obtenebrata, iudicium Senatoris peruertat, ipsúmque de solio veræ rationis deturbet. Plerunque homines vbi paululum à ratione discesserint, & quidpiam cupiditatibus concesserint, in diuersas ueræque prudentiæ contrarias,delabuntur opiniones.Vnde fit,vt non solum honestorum & vtilium opinione decipiantur, verùm etiam et turpium amore obcæcentur. In quo genere fugienda sunt illa duo vitia, vnum ne incognitas res pro cognitis habeamus, illisque temerè adhæreamus: alterum, ne malis rebus, & iis,quæ virtuti, bonisque omnibus aduersæ sunt,assentiamus. Facilè verò Senator,honestatis & vtilitatis fines compræhendere potest, si felicitatem et bonum Reipub.semper positum ante oculos habebit: hic enim finis, hic scopus prudentiæ & sapientiæ Senatoriæ,ad quem referre debeat omnia,putandus est.Nihil ab eo Deus,nihil ciues, nihil patria, nihil denique ipsa prudentia requirit amplius, quàm vt felicem & saluam Rempub. efficiat. Felix autem hæc erit,vti prius dixi,si bonis affluat omnibus, si ciues in ea iusti sint temperantes, fortes, liberi, prudentes, si etiam diuites,& sani,si inuicem factionibus, & nulli amici distracti.Est etiam prudentis Senatoris officium, non ea solùm curare,

Prudētię finis, veritas.

Prudens qui.

Prudētiæ fontes.

Honesti &vtilis inuestigatio

Quæ fugienda in prudētia

Prudētiæ Senatorię finis.

Felicitas Reipub.

Felix Respub. quō fiat.

rare, quæ ad felicitatem Reipub. efficiendam valent, sed multo etiam magis, quæ ad eam conseruandam & retinendam pertinent, cognoscere. Accidit enim magistratus negligentia, vt ciues paulatim (vt quisque est à natura proclivior ad malum) à virtute & honestate desciscant, variisque malis Rempub. afficiant: quibus inundantibus, Rempub. fluctuare necesse est. Quod ne aliquando contingat, legibus antè sanciendis, prouidere debet. Est enim lex in Repub. vinculum officii, & custos omnium virtutis & fidei. Sed nec satis est leges condi tales, quibus præmia et pœnæ definiantur, mores etiam, exempla, exercitationesq; virtutum, in quibus se ciues exerceant, et quæ adament, legibus more Laconum, præscribere oportet. Adiungenda ciuilis disciplina, quæ tam in pace, quàm in bello, ciues ad omne genus virtutis exercendum, aptos reddat & obsequentes. Illam quoque in ferendis legibus prudentiam, maximè seruari & amplecti uolo, quæ ciuibus omnem penitus occasionem peccandi præcidat. Quemadmodum enim Medicus morbis grauatum corpus, pharmacis sanum reddit: ita Senator legibus ferendis, animi sanitatem efficere debet. Nec eos probare possum, qui nascenti vel repullulanti vitio, pœnam statim qua plecti, ac non rationem qua illud exterminari queat, inueniunt. Consilio potius et ratione prouidendum omni puto, vt iusti homines efficiantur, non peccantes occidantur. Quis non nisi planè inhumanus suppeditanda citius annona, inopibus furandi occasionem tollere malit, quàm furta frequentia, plectere capitali pœna? Quis etiam lasciuientem vitiis Rempub. luxuque perditos ciues, non sumptuaria potius velit, quàm sanguinaria lege coërcere? præclarè Tullius, auaritiam inquit, si tolere vultis, mater eius est tollenda luxuries. Omnia commoda & incommoda Reipub. Senator, præ oculis posita semper habeat: si enim hæc illi fuerint incognita, nullo modo vnquàm Rempub. ægrotantem, & suis se malis vulnerantem, sanare poterit. Itaque quam quisque vitam ex ciuibus gerat, quomodò Reipub. sit affectus, vtrum legibus pareat, an verò factionibus seditionibusque oblectetur, cognoscere debet; an magistratus etiam in negociis rectè obeundis, fidem ac diligentiam Reipub. præstent, an

Leges felicitatis cōseruatrices.

Lex custos virtutis.

Legū ferēdarum ratio in quo consistat.

Legibus occasiones peccādi tollendæ.

Cōmoda & incōmoda Reip. Senatori cognoscēda.

auari,

auari,crudeles,inhumani, & an iusti,b enigni, et clementes sint: an prudentes, si iuris ciuilis gnari, si legibus & non decretis suis, & an iustè, vereq; iudicent. Tum Rempub. omnem ita complectatur animo, vt sciat ius omne populi, libertatem, leges, & vt Cicero sapienter instituit, quid Respub. præsidii, quid militum habeat, quid valeat ærario, quos socios habeat, quos amicos, quos stipendiarios, qua quisque illorum sit lege, conditione, fœdere: tenere consuetudinem decernendi, nosse exempla maiorum. Hæc omnia cognoscere Senatorem, & animo semper agitare conuenit. Is enim erit in Repub. à quo ciues omnes, à quo patria salutem requiret: cui deesse, aut nolle prodesse, non sceleratum modò, sed impium ac nefarium putandum est. Primas post Deum à nobis amoris, fideique partes, patria repetit: quam qui non amat, nescio an bestiis non inferior sit habendus, quarum plurimæ natalis soli dulcedine, quasi patriæ suæ captæ, uitam potius malunt, quàm locum, in quo natæ sunt, ac educatæ, deserere. Hic igitur amor in patriam, summæ prudentiæ coniunctus, omnes inuicem efficiet concordes, adeoque in Senatu nihil maleuolum, nihil imprudens, nihil iniquum agi, diciùe potest, sed omnia recto iudicio trutinata, & in hanc illamque partem iactata, iustè examinabuntur. Magnam uim esse prudentiæ uidemus, per eam enim ceu ianuam, ad reliquas omnes uirtutes, patet ingressus: sine hac, nulla uirtus seipsam defendere potest: Prudentiæ beneficio iusti, temperantes, fortes esse scimus, nam ubi, & quando, & quomodo his uti debeamus, hæc nobis commonstrat.

Rempub. omnē ius & libertatem populi cognoscat senator.

Amor patriæ.

Prudentia uirtutū omniū magistra.

Habet autem prudentia sub se uirtutes, ac proprias quasi pedisequas, comites, & socias, quarum comitatu stipata, & ipsa ornatior existere, & munus suum longius latiusq; exercere solet: Has ubi senator acri memoria, diligentiq; obseruatione colendas suscipiet, summam, ac senatoria prudentia dignam, in rebus gerendis, consilio dando, uita honestè ducenda, laudem & gloriam consequetur. Quare primùm omnium oportet ingeniosus sit, docilis, memor intelligens, circumspectus, prouidus, cautus, sagax, callidus, astutus: hæ siquidem uirtutes, secundùm Platonicos,

Comites prudētiæ.

M &Pe-

tos, tenuiorum à potentioribus oppressam libertatem, neglectam fidem, ac Religionem Deorum? Proinde Senator Rempub. obuiis (quod aiunt) ulnis amplecti uolens, eius salutem & incolumitatem sic tuendam suscipiat, ut tranquillam, felicem, perpetuamq; efficiat. Hostium quidem impetus, præsidiis mittendis & asseruandis coercentur, construendis arcibus, muniendis receptaculis, obuallandis itineribus, quæ peruia solent hostibus esse. Vtile etiam est Reipu. ciues pro patria semper habere paratos, uigilantes, & exercitatos: talibus enim præsidiis, quasi muris, cincta & firmata Respub. externorum, uicinorumque metum contemnet, & hostium animos, ab inferendis periculis auertet. Tales quondam fuere Lacedæmonii, qui corpora sua muros Laconicos uocabant. Ciuium felicitas iure reddundo, reconcilianda gratia, legum seueritate, & iustitia conseruatur. In quibus omnibus efficiendis, prudentem se & circumspectum exhibeat Senator. Ea enim negligere, quæ ad ciues felices & pacatos efficiendos, quæ item ad seditiosos reprimendos pertinent, non modò stultum, & ignominiosum, uerùm etiam impium & sceleratum est iudicandum. In Repub. verò quis hoc senatore melius efficiet? hic enim in medio populi constitutus, non modò uitam omnem ciuium, sed etiam iura, libertatem, licentiam, seditiones contuetur: quasiq; diuinitùs propter eam solam rem, in hac specula collocatus est, ex qua, non ea solum, quæ præsentia sunt, circumspectare & diligenter animaduertere possit, uerùm etiam quæ sint euentura, longè antè præuidere.

Senatoris officiū in circumspiciēdis malis Reip.

Ciuiū felicitas quo conseruetur.

Quemadmodum Medicus ingrauescentem morbum, Imperator hostium insidias, Nauarchus maris tempestatem præcauere solet: ita prudens Senator, pericula Reipub. inclinationes, casus, mutationes, prospicere debet: est enim eius officium, non solùm uidere præsentia, uerùm etiam præuidere futura, quæ uirtus à præuidendo, prouidentia est appellata: hanc qui habent, prouidi & prudentes dicuntur. Est enim prouidentia, uti Cicero scribit, per quam aliquid futurum uidetur, antequàm factum sit. Cęterum prænoscere res, quæ sint euenturæ, non tam humani, quàm diuini est ingenii: solus enim Deus futura scit, eaque mentis

Prouidentia quid.

diuinæ,

diuinæ, propria est uirtus & conditio. Sed quoniam simulachrum diuinitatis nos quoque gerimus, contingit ut etiam futura sciamus, præuideamusque: fit uerò hoc duplici ratione, uel inspiratione & voluntate diuina, uel nostro proprio instinctu. Primæ rationis sunt, uaticinia, diuinationes, & alia id genus, quę per inflationem & reuelationem Dei fiunt. Secundæ illud est, quandò scilicet, animus separatus à corpore, meminit præteritorum, præsentia cernit, futura præuidet. Et de huiusmodi prouidentia nobis sermo præsens instituitur. Non.n.ad nostram rem pertinere uidentur illa, quæ de somniis, extis, sortibus, monstris, astris, de Aruspicibus, Coniectoribus, Auguribus, Ariolis, Astrologis, Dæmonibus, & aliis innumerabilibus sunt conscripta, ex quibus præsagire, & futura præsentire solent Athei. Quod si Senator sanctam, puram, nullaq; fece & labe vitiorum asper sam, nec contaminatam mentem habuerit: atque adeò corpus hoc, domicilium sit illius cælestis spiritus mentisq; diuinæ, cuius munere diuinare, ac futura prædicere posit: tum hoc nomine Senatorem, non iam humana hac sapientia, sed illa cœlesti, planeq; absoluta & perfecta, scire putabimus: eritq; is nobis Senator appellandus, non prudens, non sapiens, non prouidus: sed sanctus, diuinus, pius, ac religiosus. Tales Prophetas in iure nostro, Sybillas etiam vates, & eos qui Nympha Deoq; correpti dicebantur, quorum in numero Tiresias, Mopsos, Amphiaraos, Calchantasq; fuisse legimus. Hæc autem cœlestis prouidentia quomodò acquiratur, non est nostri instituti dicere. Inest enim, hæc præsagitio extrinsecus iniecta, atque inclusa diuinitus, eaq; exardet acrius, dum animus à corpore abstractus, diuino instinctu concitatur. Sed ad prouidentiam humanam nos conuertamus, cuius exercendæ ratio, diuina quoque putanda est. Cùm enim viri prudentis animus, rerum & actionum humanarum cognitione est imbutus, tum prætereà agnoscit præsentium & præteritarum rerum, quæ fuerint principia, qui exitus, quæ mutationes, quæ inclinationes: habet etiam in animo comprehensam ideam ac formam rerum gerendarum, quas natura vel ratio, certo & inuolubili cursu gubernat: is inquam omnibus edoctus

Prouidentia quomodo fiat in homine.

Prouidentia cœlestis quo acquirat.

Prouidentia humana.

danda tamen opera, ut plus audiat, quàm loquatur, siquidem natura propter id duas aures homini, linguam vnam attribuit. Summa certè prudentia est, scire tacere: nam quæ, & quomodo, & ubi, & apud quos, quo loco, & tempore quæq; dicenda sint, considerari omnino debent.

In dicēdo quæ consideranda.

Porrò in negociis, rebusq; gerendis, consiliis itidem estutendum cautionibus: id autem fiet acutè inuestigantibus, quid in una quaq; re deceat, quid uerò dedeceat, quod obesse, quod prodesse possit. Consilium verò habeat sanum, prouidum, prudens: in quo indagando sit acutus, sagax, cautus, uel (ut ita dicam) catus. In bello quanta cautionis requiratur necessitas, non est huius loci tractatio: nos enim Senatorem instituimus, in Repub. in senatu, in foro, in iudicio, in pace, togatum non sagatum. Dicendum tamen illud est, nulla alia uirtute melius bella confici, exercitus conseruari, dolos hostium auerti solere, quàm ista ipsa; hac Imperator si caruerit, omnibus aliis uirtutibus imperatoriis, carere censendus est.

Consiliū.

Cautio militaris.

Sagax Senator sit.

Sagacem præterea Senatorem nostrum esse uolumus, in percipiendis ac indagandis his rebus, quæ ad consultandum uel intelligendum proponuntur: unde sagire, sentire acute est, ex quo sagaces dicti canes. Et quemadmodum prudentis est, bene consulere, ita sagacis alium dicentem, acutè percipere, & prudenter iudicare.

Callidus Senator et astutus quomodo

Neque solum acutum eum, in rebus percipiendis & iudicandis fieri volo, uerùm etiam solertem, callidum, astutum, in inuestigando, quid scilicet sui ciues cogitent, quid velint, quid sentiant, opinentur, expectent. Hac ratione multitudinem in officio retinebit, eorum consilia cogitationesq; cognoscens, & quæ in eis mala sunt auertens. Solent plerunq; mali ciues, in bonorum perniciem conspirare, vel odio inducti, vel audacia furoreuè concitati; partim quòd in eorum potestate manibusq;, Reipub. gubernationem positam uideant: partim quòd honoribus, diuitiis, & autoritate præstent, partim quòd se contemni & postponi cæteris in Repub. putent. Vnde fit, ut his ex causis, hostiles spiritus contrà eos gerant, bella, seditiones, necemque moliantur, & si uiribus superiores sunt, in discrimen etiam Remp. inducere cupiant. In

his

his motibus & cogitationibus malorum reprimendis, prudentem, astutum, & callidum senator se exhibeat; nec apertis semper contentionibus, studiisque rem agendam putet: sed vel à tergo, uel eminùs sese opponendo, impetum talium hominum infringat, ac suadendo, monendo, orando, obiurgando, corrigendo, castigando, quottidie molliores, faciliores, mansuetiores efficiat: interdum autoritate perterreat, ac ab huiusmodi sceleratis, nefandis, & execrabilibus factis auertat. Semper in animo voluere, ac reuoluere debet, quo consilio, qua arte, quibus modis in Repub. quies, & tranquillitas ciuium seruetur, ac seditiones, discordiæ, earumq; causæ penitus euellantur: hoc enim primum ad Reipub. statum rectè conseruandum pertinere, iudicandum est. Qua in re efficienda, consultatione & deliberatione prudenti vtendum est: hæc enim bonorum consiliorum est alumna. Quamobrem curandum est senatori, uti res omnes, de quibus deliberatio suscipitur, summo tum prudentiæ, tum ingenii acumine ponderentur & examinentur. Vis autem tota consultationis uersatur in his, quæ ad communem vitam hominum, & Rempub. conseruandam pertinent. Proinde consultare ac deliberare non debet de his, quæ sunt æterna & cælestia: ut de mundo, aut quæ euenire non possunt, quæuè natura, casu, fortuna eueniunt: ut de intermundiis, de thesauro inueniendo, & de similibus: nec etiam de his leuibus, ut de vacuo; nec de præteritis; quæ enim facta sunt infecta esse nequeant. Deliberandum autem & consultandum est de futuris, & de his quæ aliter atq; aliter euenire possunt: quorumq; ratio ad utilitatem hominum spectare uidetur. Horum ab Aristotele quinq, generalia capita enumerantur: de parandis pecuniis, de bello ac pace, de custodia regionis, de his rebus quæ inuehuntnr, & euehuntur, de legibus instituendis. Si deliberationem de conflanda pecunia suscipiet; vectigalia portoriaq; Reipu. cognoscat necesse est, quæ & qualia sint: si exigua, ut augeantur: si magna, ut minuantur. Non facilè tamen, nisi ingenti necessitate postulante, uectigalia augeri patietur: noua enim omnia onera, etiam iusta, plerunque ciuibus sunt molesta: magnisq; seditionibus occasionem præbent. Tyberiis

Senatoris officiū in componēdis seditionibus.

Consultationum & deliberationū vis in quo cōsistat.

De quibus deliberationes suscipiēdæ.

Consultatio de uectigalibus

N suaden-

Tributa quõ exigẽda. suadentibus amicis, vt terum tributa populis imponeret, boni pastoris esse respondit, tondere pecus, non deglubere. Item sumptus Reipub. necessarios suadebit conseruandos, non necessarios uerò tollendos, ad quæ melius & prudentius cognoscenda, aliarum Rerump. consuetudines, non suæ tantùm imitabitur; qua in re historiæ cognitione adiuuabitur.

Militaris & bellica cõsultatio. De bello & pace deliberanti, Reip. copias nosse oportet, quantæ sint vel esse possint: quo genere belli contrà Turcas, quò item contrà Scytas utendum sit, itemq; contrà alios. Vicinorum quoq; copias cognoscere proderit, equitatusnè plus, an peditatus armatura valeant: vtrum nobis similes, an dissimiles sint: quo nobis superiores, quo itidem inferiores: ut cum potētioribus pax, cum inferioribus bellum suscipiatur, cuius gerendi rationem cognitam, & benè perspectam esse oportet. Bellorum etiam exempla & euentus nosse est utile, similia enim ex similibus oriri solent. Tum præterea, an iusta causa belli gerendi sit; an item illud cuius gratia suscipimus bellum, sine tumultu & armis, confici possit. Omnia enim experiri prius quàm armis, ut ait Comicus, sapientem decet: honesta quoq; pax, turpi est præferenda bello.

Consultationes de custodia regionis. Ad custodiam regionis illa pertinent, quantum scilicet præsidii requirat, quales custodes, quæ loca: formam præterea & genus militiæ, in animo tenere necesse est.

Cõsultationes me rtium. Si de exportandis euehendisque rebus deliberabitur: ante omnia prævidere debet, ne unquam Resp. rebus indigeat necessariis: & quod superest ut vendatur, euehaturùe. Curandum etiam est, ut commutatione rerum pretia ponderentur: ne pecuniis spolietur Resp. ut etiam arceantur à ciuitatibus merces, quæ ciuium animos leues & effeminatos reddunt.

Consultationes de legibus ferendis. In legibus constituendis, summa requiritur prudentia: est enim in illis sita ciuitatis salus. Necessaria est hic Reipub. cognitio, quas leges recipere, quibus conseruari, qualibus firma reddi possit. Vnde leges ad Rempub. accomodari debent, non Respub. ad leges; non enim eædem omnibus Rebuspub. conueniunt. Nec suæ tantummodò cognitio vtilis est, sed etiam finitimarum: sic mala caueri quæ apud alios sunt, & bona imitari possumus. Ad deliberandum autem de rebus magnis, in consilium alios adhibere est utile: non

enim

enim vnus poteſt omnia præuidere, uerum eſt illud Homericum.

Bini ubi conueniunt melius rem perſpicit alter.

Ex bona prudentique deliberatione, prudens ſolet naſci conſilium, quod præcipuum eſt ad res bene agendas fundamentum. Ideò ſenatorem conſilio ualere, maximèq; præſtare cæteris oportet. Eſt autem conſilium, aliquid faciendi, non faciendiùe excogitata ratio. Id ſenator ad omnia promptum, ſalubre, prudens habeat neceſſe eſt. Cùm enim tria in omni re concurrant, conſilium, ratio, & euentus: requiritur ſanè, ut tam actioni bona conſultatio, quàm conſultationi exitus bonus reſpondeat. Et quemadmodum gladiator in arena, conſilium feriendi hoſtis capit: ita ſenator ad tempora perſonaſque, ſuum conſilium accommodet. Conſilii autem capiendi triplex eſt, uti Cicero ex Panætio docet, deliberatio. Nam vel de honeſtis, uel vtilibus, vel de his inter ſe pugnantibus, deliberare ſolemus. Hæc tria ſenatori ſi probè cognita fuerint, nihil ad dandùm de omni re conſilium, illi deeſſe poterit. In cognoſcendo verò tam honeſto quàm vtili, ſumma ſapientia requiritur: ex duobus prætereà honeſtis & utilibus, cognoſcere quod ſit honeſtius, aut utilius, non mediocris eſt prudentiæ. Capere quandoq; ſolemus conſilium ex re, tempore, occaſione; in quo, quemadmodum in omnibus, nunquàm àb honeſto, uel utili diſcedendum eſt. Quod.n. nocet fugimus, quod prodeſt amplectimur, ex malis multis minora eligimus. Cæterum in omni optimo conſilio inueſtigando, confugiendum eſt ſemper ad ſummum bonum, ſiue hoc ſit uitæ noſtræ priuatum, ſiue publicum. in quo felicitas Reipub. conſiſtit: huic enim conſentire debent, omnium noſtrarum cogitationum & conſiliorum principia. Vana ſunt conſilia noſtra, ſi non hunc finem publicæ felicitatis habuerint: ignoranti quem portum petat, nullus bonus eſt ventus. In conſilio autem capiendo, ſummam prudentiam requirimus, in dando, fidem & religionem; conſilium malum, conſultori peſſimum; prudens autem & fidele, optimum eſt cenſendum. Cauebit prætereà ſenator, ne quid in conſilio dando fortunæ, uel caſui tribuat: nunquàm enim hæc perfectè ueritatem imitantur.

Conſiliū ſenatoris.

Cōſilii capiendi modus triplex.

Finis optimi cōſilii, ſummum bonum.

Senatoris officium in cōſilio capiendo.

Fortuna & casus in consilium non adhibenda.

Quemadmodum fortis non est, quem casu non consilio, fortem esse contingit, ita nec prudens, qui fortunam & casum, non rationem iudiciumue sequitur. Sit igitur consilium senatoris prudens, bonum, fidele, maturum, deliberatum, liberum: non autem stultum, callidum, præcox, perniciosum. Consilia callida & audacia, specie læta, tractatu dura, euentu tristia sunt. Consiliis quoque sciat, nullam rem tam inimicam esse, quàm celeritatem: hanc enim pœnitentia tristis & ignominiosa consequitur. Hoc non solùm in rebus agendis, sed etiam in bellis maximè experimur. Nec proptereà cunctandum est, sed maturè res omnis expedienda; utilis est celeritas prudenti temperata consilio. Multa prudenti Senatori sicut non aggredienda, ita semel aggressa, non sunt dimittenda. Quarè diù deliberandam, citò faciendum est quoduis, vt dicitur: considerandus est finis cuiusq; consilii, non principium, omniaq; referenda sunt ad necessitatem. Nec ob aliud Respub. Senatorum conuentum, & congregationem instituit, quàm ut à senibus & prudentibus omnia ponderentur, ac deinde maturè conficiantur. Quibus deliberationes & consultationes, in rebus arduis & difficilibus inquirendis adesse volumus. Prodest Reip. in Senatum adferre res multum & diù cogitatas; stultumque est vnius horæ tempori, rerum magnarum deliberationem committere.

Senatoris cõsilium.

Consiliis inimica celeritas.

Deliberationes necessariæ.

Sententia

Consilium subsequitur sententia: quę nihil aliud est, quàm animi & consilii nostri explicata significatio: quæ enim cogitamus, ea necesse est uoce & oratione exprimere, vt sciatur id, quod in mente hominis & ratione latet. Hæc à natura nobis esse uidetur innata: plurimos enim uidemus sapientes non esse: dicenda autem sententia ualere, fieriq; sagaces, intelligentes & astutos, quæ omnia consequi solent à quodam ætatis habitu, cuius prudentia ancilla est & pedissequa. Senes igitur sententia dicenda valent, tametsi sint indocti, usu enim & experientia, tertium quendam oculum sunt adepti, quo rerum principia & euentus facilè perspiciunt. Quemadmodum homo qui sit, loquendo cognosci solet: ita senator sententia dicenda qualis sit, quàm prudens, quàm sapiens, iudicari consueuit. Socrates iuuenem

Senes sententia dicenda ualent.

ante

ante incognitum aliquando intuitus, loquere inquit vt agnoſcam te: Senatori itidem quis dixerit, ſententiæ grauitate fac te uerum agnoſcam ſenatorem? Index animi eſt oratio, ut dicitur. Quarè in ſententia dicenda, neruum intendat oportet animi ingeniiq; ſui, ut ea dicat, quæ Reip. profutura ſint: hic eſt enim finis ſententiæ. Solent plerique fucatis, & ad placendum excogitatis uti ſententiis, easque pigmentis uerborum & ornamentorum colorare, ut fucatæ magis quàm ueræ appareant: quas ſi excuſſeris, nihil in eis fidele, nihil ſyncerum, nihil graue inueneris. Qua in re committendum ſenatori non eſt, vt prudentibus diſertè, ſtultis etiam verè dicere videatur. Nonnulli ſimultatum, irarum, odiorumq; faſtu tumidi, ubi locum dicendæ ſententiæ nacti ſunt, cæteros calumniis & conuiciis pungunt: ea re fidem & beneuolentiam Reipub. ſe præſtare exiſtimantes: hi certè nullum fructum Reipub. adferunt, quin potius odiis, ſimulationibus, diſcordiis eam dilacerant: qui ſi boni eſſent, iraſci, ſimulare, odiſſe propter Remp. aut nollent, aut non omnino deberent. Quidam conſilii cùm ſint inopes, in aliorum ſententias pedibus eunt: quales apud Romanos Pedarii ſenatores dicebantur: hi ſi non ignorantia id faciunt, uituperandi non ſunt. Vtile eſt Reip. in ſapientum & proborum Senatorum ſententias, cæteros pedibus ire: contingit enim ut omnium idem ſit ſenſus, eadem de re aliqua voluntas, loquacitatisque fugiendæ cauſa, melius eſt adhærere aliis, quàm ſeſquipedalibus verbis diem conterere. Cauendum autem eſt ſemper, ne in ſententia dicenda, ingenii oſtentationisq; ſuſpitio appareat. Fieri non poteſt quin ob ſententiarum varietatem, contentiones aliquando in ſenatu exoriantur; in quibus ſanè componendis & enucleandis, longè debet abeſſe calumnia, iracundia, & aliæ quæ conſilium omne peruertunt, & perturbant affectiones, In conciliandis autem ſententiis, plurium ſententiæ vincant: iuſtius enim, & rationi conuenientius id putari debet, quod plures inuenerint. Ordo ſuffragandi, diuerſus in omnibus Rebuſpub. eſſe ſolet, in quibuſdam ætate grauiores, in aliis iuniores dicendæ ſententiæ primum habent locum: nonnulli viros prudentiæ & ſapientiæ laude inſigniores cæteris præferunt. Obſeruanda eſt

Senator prudēs ex ſententia iudicatur

Finis ſententiæ.

Fucatæ ſētentiæ.

Pedarii ſenatores.

In ſententia oſtētatio fugienda,

Pluriū ſētentiæ vincant.

Ordo ſuffragandi.

est cuiusq; Reipub. consuetudo: & id bonum, iustum, vtile, æquum putandum est, quod ratio communisq; vsus hominum, ab antiquis temporibus recepit. Præstat tamen seniorum, prudentiorumq; sententias ante audire, vt iuniores de his habeant longius deliberandi tempus. Iuniorum sententiæ ante dictæ, plerunque senum consilium distrahunt, & varietate opinionum irretiunt. Dicat autem, non vt quisque vult, sed rogatus: vt hac ratione & ordo conseruetur, & contentionum occasio omnis amoueatur. In sententia autem dicenda ambigere licet: difficultate enim rei quandoque excusamur: nonnunquàm sententiarum varietate, animum gerimus distractum, dubitantes cui potius opinioni sit adhærendum. In quo fugienda est temeritatis suspicio, & ne studio magis & amore, quàm iudicio sententiis

Ponderandæ nō numerandæ sunt sententiæ.

aliorum adhæreamus. Ponderandæ non numerandæ sunt sententiæ: cauendumque ne maior pars meliorem vincat. Aristoteles in ferendo suffragio bis ambigere permittit; si quis tertiùm titubet, ius eum sententiæ dicendæ vult amittere.

Lōga sentētia odiosa.

Cauendum est præthereà, ne diem extrahamus, longa sententia dicenda: duplex enim committimus vitium, nos loquendo, cæteros audiendo defatigantes; Catonem Cæsar ob id aliquando punire non dubitauit.

Sententia qualis esse debeat.

Breuis oratio sit, syncera, nullis verborum lenociniis offuscata: non præceps, non fallax, nō dolosa; sed grauis, simplex, sancta, & vera: ex quo & iuratos dicere conuenit, ut testis eorum animi Deus esse videatur.

Iurati sentētiam dicant.

Ex scripto autem an memoriter sententia pronuncianda sit, parum refert: quandoq; in scriptis res adferri diligentius elaboratæ solent: maximè si longam orationē res postulet.

Vox senatoris.

Voce utendum est autem virili, & ad grauitatem non mollitiem accommodata, clara & sonora, non demissa & humili quæ exaudiri non potest.

Leges senatoriæ.

In summa tria illa in legibus Ciceronis iussa Senatori sunt tenenda: ut adsit, nam grauitatem res habet, cùm frequens ordo est: vt loco dicat, hoc est rogatus, ut modo, ne sit infinitus. Senatori uerò, qui non aderit: vt idem sancit, aut causa, aut culpa esto; unde vocatus obediens in curiam veniet. Neque senatorem ex ciuitate conuenit egredi ad exteros, nisi aut publicè legatus sit, aut cum imperio; ne quod ex absentia senatorum Resp.

patiatur

patiatur detrimentum: id Romæ ne fieret, cautum erat legibus.

Caput autem & fundamentum est prudentiæ senatoriæ, vt in omnibus dictis & factis, officium viri boni & iusti sequatur, quod potissimum fit vitæ dignitate: non satis est prudentes esse nos, nisi viri boni simus: siquidem prudentia sine iustitia, calliditas, vitiumq; non virtus, existimanda est. Virtutis beneficio boni efficimur; hoc est iusti, æqui, & honesti: quemadmodum & sapientiæ sapientes. Cæterum à virtute uiri boni: non item à sapientia dicimur. Quis igitur vir bonus; profectò uti Plato docet, ille quidem dicendus est, qui uirtutes amplectitur, & secundùm eas uiuit, & pro Repub. moritur, si periculum illi immineat, aut seruitutis iugo oppressa sit, uel à deterioribus regatur. Omnia etiam pati prius vult, quàm Reipu. mutationem spectet, quæ deteriores semper homines efficere solet. Quarè senatori curandum est semper, vt non minus bonus sit & iustus, quàm prudens: mala enim est prudentia sine iustitia, à qua uiri boni nominamur. Pleriq; ad Rempub. accedunt, linguam promptam, ingenium sagax, animum autem malis artibus imbutum gerentes: qui dùm libertatis legumq; patrocinium susci piunt, nihil illorum oratione pulchrius, nihil elegantius videri solet: hac verò rectè examinata, nihil iniustius, nihil indignius, leuius. Falsa enim specie prudentiæ imbuti, & linguam non animum instructum habentes, Rempub. consiliis mutare suis, non emendare consueuerunt. Nulla pestis capitalior est in omni Repub. quàm talium hominum iniusta potentia; hæc uiros amplectitur licentiosos, callidos, uersutos, iniustos, seditiosos: qui tum cùm maximè fallunt, id tamen agunt, vt uiri boni esse uideantur. Vt enim homo perfectionem nactus, animantium est optimus: ita quum à iustitia legesq; discesit, omnium pessimus habetur. Atque certè orandi primùm Dii sunt, ut tales è Repub. ciues extirpentur: Senatorique curandum, ut omnis eorum uita ad iustitiam excitetur, & inducatur. Quomodò verò cùm simus prudentes, iusti esse queamus: ac de iustitia senatoris, quæ & qualis esse debeat, dicendum est.

Senator & prudēs & uir bonus idem sit.

Boni vnde dicti.

Seditiosorū mores.

Si quis diuinarum humanarumque rerum conditionem,

acri

acri animo contemplari ac inuestigare velit: omnino videbit, naturam firmos, stabiles, & constantes cuique rei tribuisse cursus: qui ex sese mutari non posśint, sed determinata certaq; via currant, ac recurrant. Cœlestes enim illi orbes, elementa, animantia, volatilia, reptilia, non casu acceptam, sed innatam ac insitam habent proprietatem, quam ita retinent, vt eam deserere nec velint, nec si velint, vllo modo posśint. Quid dicam de hominibus? nonne videmus bonis, à Deo certam ad fœlicitatem datam esse viam, malis itidem ad interitum? sic virtutis dextrum esse callem, eumq; angustum, præruptum, ac difficilem: uitiorum verò sinistrum, latum illum, planum, ac peruium multis? Venio ad Respub. ciuitatumq; gubernationes: quæ si certum, perfectum, absolutum à natura, hoc est à Deo, vel ratione cursum viuendi, administrandiq; suscipiunt, ab eoq; nunquàm discedunt, diuturnas illas fore: sin minus, infirmas, imbecillas, & caducas. Non enumero singula: satis enim apparet, naturam omnia hæc, quæ à nobis videntur, & sentiuntur, fecisse bona, certa, perfecta, ac omni ex parte absoluta. Vnde naturæ conuenienter uiuere, Stoici fœlicitatem summam esse dicebant; Est enim natura, rectæ uitæ dux & magistra: qua authore, Deum sequimur, eiq; paremus. Hic igitur naturæ concentus. hæc ἁρμονία, à nobis rectè dici potest iustitia: hæc enim uirtus est, quæ tuetur ius & consensum omnem naturæ. quicquid naturæ consentit, iustum est: quod dissentit, iniustum dicitur. Qui itaque secundùm naturam uiuunt, ac in omnibus illi obsequuntur, hos iustisśimos esse credere debemus: nihil.n.contrà naturam, Deos, homines, facere & cogitare, iustum est. Vnde triplicem iustitiam ex eo oriri putant. Naturalem, Diuinam, & humanam. Iustitiæ naturalis fundamenta, ab ipsa natura proficiscuntur, quæ nobis igniculos inseruit rerum amplectendarum & fugiendarum. Iubet naturalis æquitas, ut ab iniuriis abstineamus, proinde nihil faciendum putamus, quod alteri displiceat. Hac uirtute colligatum ac consociatum est genus humanum, ut mutuò sibi benè uelit. Antiquis illis seculis, quæ à Poetis aurea uocantur, huius beneficio iustitiæ, dolus, fraus, iniuriæ ab hominum cætibus aberant.

Fœlicitas naturalis.

Iustitia.

Triplex iustitia.

Iustitia naturalis.

nullæ

nullæ ſeditiones, nulli tumultus, odia nulla: amoris, beneuolentię, fidei plena erant omnia: non illis legislator, non iudex, non cauſidicus ullus, cuncta ipſi æquo & bono diſcernebant, nec magis ſuam, quàm amicorum rem omnem eſſe uolebant. Huius uirtutis etiam instinctu, parentes, liberos, affines, cognatos amamus. Et ea quidem iuſtitia quæ parentibus exhibetur, pietas uocatur: qua præditam fuiſſe Cymonis filiam præ cæteris legimus, hæc patrem morti condemnatum, in carcere propriis vberibus lactauit, eoq; facto, patri vitam, ſibi immortalitatem peperit. Communis nobis hæc eſt cum cæteris animantibus, quæ vti videmus, in conſeruationem ſui à natura itidem conſpirarunt. Requirit etiam à nobis hæc iuſtitia, vt noſmetipſos alamus, tueamur, gubernemus: qui enim, aut inedia, aut negligentia, aut morte ſibi vim infert, is iniuſtus, & hoſtis naturæ cenſendus eſt. Amicorum etiam commodis inſeruire, poſteritatem procreandis ex ſe liberis conſeruare, à natura ſumus obligati. Ad ſummam, qui naturæ obtemperant, iuſti, qui minus, iniuſti iudicandi ſunt: natura enim malum abhorret, honeſta & recta amplectitur. Hanc naturalem iuſtitiam Socratici, ſcientiam æqui & boni, rationi conuenientem definiunt: eam qui ſolus exercet, ac ducem in rebus agendis ſequitur, uir bonus; qui cum aliis communicat, bonus ciuis dicitur: non enim hic ſibi ſoli, ſed aliis quoque utilis eſt. Hoc modo iuſtum eſſe, ut ſecundùm naturam uiuamus, non Senatorem tantùm, ſed omnem hominem decet. Cæterùm qui à natura maioribus ſunt affecti & inſigniti dotibus, hos cæteris iuſtiores eſſe conuenit. Quo magis talem eſſe ſenatorem oportet, vti & naturæ, quæ eum ſuprà alios extulit, & dignitati ſuæ conuenienter viuere putetur: iuſtitiæ ſplendore alios ſuperare glorioſum illi, ſuperari ab aliis, ignominioſum eſt cenſendum. Hæc igitur in hominum conſuetudine moribusq; ſunt obſeruanda.

Pietas naturalis.

Iuſtitię naturalis iura.

Ea verò iuſtitia quæ ad Deos pertinet, qua obligamur à natura Deum agnoſcere, colere, reuereri, amare, venerari, ſolius eſt hominis propria. Sic enim naturæ viſum eſt rerum omnium procreatrici, ut in ſolius hominis animum imprimeret notionem Dei: cætera animantia deiiceret ad pa-

Iuſtitia diuina.

ſtum, cibum, & pabula. Solus igitur homo ex tot animantium generibus eſt inuentus, cui diuini nominis cultum, reuerentiam, honorem, uenerationem natura concredidit. Vnde nulla gens in hoc orbe reperitur, quæ Deos non habere modò, ſed etiam colere putet iuſtum, honeſtum, & neceſſarium. Eſt enim hominum & Dei ſocietas, quadam naturali neceſſitudine & beneuolentia conglutinata, quæ diuelli nequeat, quaſiq; homines ex Deo nati ſint, propterea hunc tanquàm patrem colunt & uenerantur. Cultus autem

Cultus Dei.

Dei optimus ſit neceſſe eſt, idemque puriſſimus, atq; ſanctiſſimus, pleniſſimusque pietatis: ut ſcilicet eum caſta, integra, incorrupta mente & uoce veneremur. Pietatis noſtræ & ſanctitatis in Deum vis omnis, in religione conſiſtit: quæ

Religio quid.

eſt uirtus colendi Dei ſcientiam continens. Hæc autem in eo conſiſtit, ut doceat meritam Diis immortalibus gratiam, iuſtis honoribus & ſancta mente perſoluere. Ab ea religioſi & ſancti dicuntùr, qui in deligendo & quaſi religendo cultu di-

Sacerdotū poteſtas.

uino verſantur. Tales in chriſtiana Rep. ſacerdotes & pontifices ſunt, quibus à ſuperis propagandæ, & mentibus hominum iufundendæ religionis eſt conceſſa poteſtas: è quorum manibus rationem omnem colendi & uenerandi Dei, tanquàm ab ipſo Deo porrectam recipimus: ſunt illi prænuncii Deorum, ac interpretes legis, uoluntatisque diuinæ.

In Religione quę ſpectāda.

In religione ſuſcipienda, caput eſt ſcire, & intelligere, qui Deus, quæ uoluntas illius, quæ cerimonia in eo colendo fieri debeat: hoc enim ad iuſtitiam Deorum iuſtè exercendam inprimis pertinet: atque is finis eſt felicitatis humanæ, cuius gratia homo à Deo creatus eſt. Summi Dei cognitionem uoluntatemq;, ac eius colendi modum, patefecit nobis Ieſus Chriſtus veri Dei natus, qui Remp. suam, hoc eſt Eccleſiam, non solùm legibus huiusmodi, sed etiam magiſtratibus inſtituit, moribusq; à diuina mente profectis in-

Magiſtratus eccleſię poteſtas.

formauit: magiſtratus in Repub. sui, magnam uim et autoritatem eſſe uoluit: eos enim ſuæ diuinitatis uicarios effecit: apud hos ſolos iudicia, religionem, leges tam ueteres decem tabularum, quàm nouas quattuor depoſuit: ut omnes hi, qui ueram religionem ſcire, ac iuſtè, piè, ſanctè Deum colere uelint. non ab aliis, quàm his hæc omnia peterent.

Lege

Lege etiam prohibuit, ne alios, quàm hos, speculatores uoluntatis diuinæ haberemus: nec aliis ullo modo auscultaremus: hos enim solos iustitiæ diuinæ interpretes, ac sacrarum legum latores constituit. Quemadmodum igitur in ciuili Repub. ius ac iustitiam omnem à magistratibus accipimus: sic in hac nostra Christiana Repub. religionem, fidem, pietatem, ac iustitiam in Deum, à magistratibus, hoc est à sacerdotibus, Pontificibusùe capere debemus. Qui ius sibi priuata licentia in Repub. constituunt, neque id à magistratibus ad hoc destinatis recipiunt, quin etiam cuncta contemnunt, respuunt, abiiciunt: hi perduelliones, seditiosi, & scelerati in Repub. ciues habentur, hosq; supplicio, infamia, exilio, nece, morte dignos iudicamus, atq; è Repub. exterminamus. Quid dicendum est de his, qui in aliam ciuitatem & Rempub. fugiunt, alienas religiones quærunt, patriæ, hoc est Ecclesiæ, in qua sunt nati ac educati, leges, pietatem, fidem contemnunt, spernunt, despiciunt, maluntque in aliena patria exules, quàm in sua ciues uocari? Religionis profectò uiolatæ culpa, iusta excusatione carere putanda est. Nulla pestis capitalior est ad euertendum Reipub. statum, quàm religionis mutatio: verumque illud est quod Tullius dixit: Turbata religione, turbari totam Rempub. nec id quidem immeritò. Cùm enim Deorum cura, gratia, prouidentia, omnis Respub. conseruatur, eiusque conseruationis causa est religio, quæ nos Deo inuicem obstringit & obligat, adeò ut nos illi cultum, ille nobis felicitatem, & in rebus omnibus prosperitatem, tanquàm ex pacto debeat: sequitur ut mutata in Deum religione, mutari cultum necesse sit, permutato cultu, commutari animos: quibus uariatis, inconstantia & chaos quoddam religionum, ac deinde contemptus Dei nascatur: ex qua conuersione, Deum iratum, et infensum experiamur, qui nos mutatos, ac in præcipitium abiectos deserit. Fauet enim pietati, fideique Deus, hisque duobus regna semper ad fastigium extollit. Omnia prospera sequentibus Deos, aduersa spernentibus eueniunt. Religionis prætereà in animo tanta uis est, ut eius munere credant se homines virtutes omnes assequi, in illisque retinendis, non minus constantes quam religiosos effici.

Ratio colẽdi Dei à sacerdotibus petenda est.

Hæretici.

Cur mutata religione mutatur omnis Respub.

Qui enim Deum colit, virtutum in eo crescit constans, vera, & immutabilis harmonia: iustus siquidem, prudens, temperans quisque est in eo religiosè colendo; quæ virtutes ita religioni sunt alligatæ, ut ab ea diuelli nullo modo queant. Constans igitur religio, legum, consuetudinum, uirtutum, ipsiusque Reip. perpetuitatem efficit: quæ ubi est in hominibus mutata, eorum mutationem inducit, cum qua & virtutem, & leges, & mores tolli necesse est: quibus sublatis perturbatio vitæ sequitur, & omnis confusio: vnde seditiones discordiæ, inimicitiæ, odia, bella, ad extremum interitus Reip. consequuntur. Quomodò enim de pace, concordia, iustitia, religione, tractabunt seditiosi, discordes, iniusti, impii? Quæ uero iustitia potest esse in ciuitate, & Repub. quæ fides, & societas humani generis, pietate, & religione aduersum Deos sublata? Fidem quis Deo non seruat, quomodo seruabit homini? inconstans in religione est, quomodo stabilis in dictis factis, pactisue seruandis erit? Pax in Repub. expetitur, quæ verò ab his sperari potest, qui cum religione, fide, conscientia belligerant? Optandum est Reipub. vti religionem puram & sanctam habeat, nec eam immutet vnquam, sed retineat constanter. Omnis enim in Repub. mutatio mala est, at religionis pessima. Quot Regna propter religionem mutatam, aut afflicta nimis, aut euersa miserè sunt? Græcia certè cum Latinis dissentiens, non modò religionem, sed libertatem & linguam amisit. Turcisque est ignominiosè subiecta. Iam Germaniæ sanguinem, quis non potius deplorandum, quàm commemorandum malit? Cætere gentes pro religione bella suscipiunt; hæc contrà religionem armis correptis, tota se proprio cruore conspersit & contaminauit. Taceo Galliam & Flandriam: quæ ex recenti vulnere nondum conualuerunt. Prætereo alia regna, quæ religionis mutatæ pœnas, propriis hucusque gestant ceruicibus. Nihil peræquè mentes obcæcat, ac exacerbatas, amentes, uecordes reddit, quàm temeritas ex mutata religione concepta. Quare omni quidem magistratui, sed maximè sacerdoti publico curandum est, ne nouæ religiones, in Remp. inducantur, inductæ damnentur, impiæ iudicentur,

Religio conseruatrix Reipub.

Græcia ob mutatā religionē periit.

Germania

Gallia. Flandria.

Nouæ religiones in Remp. nūquā inducendæ.

iudicentur, atque cum suis aut oribus exterminentur, euellantur, extirpentur.

Senatorem nostrum de Deo & religione, decet habere non errantem & uagam, sed stabilem certamque sententiam: hoc enim fundamentum eius sapientiæ, uirtutis, & dignitatis fuerit. Fluctuantem in religione & uacillantem, Senatu prohibemus: nihil enim in sancto Reipub. consilio Deo aduersum, religioni contrarium, fidei repugnans esse debet: omnia constantia, syncera, sancta, pura sint & religiosa. Propterea sanctus Senatus dicitur, quòd ea quæ sancit, non modò apud ciues, sed etiam apud Deum sancta iudicari debent. Quare & locus in quem Senatus conuenit sacer iudicari debet: eiusque celebritate & sanctitate Senatores, ab illicitis alienos esse consiliis & cogitationibus oportet. Romani Senatum habituri, Deo illi in cuius templo Senatus erat coactus, adolebant thus, & immolabant hostiam. Christianis mos alius est sequendus, à Deoq; sunt illis agendi semper capienda primordia; supplicationesque instituendæ piæ, sanctæ, & religiosæ. Itaque Senatori prauam de religione opinionem habere, non modò indignum, sed impium, sacrilegum, & sceleratum putandum est. Quemadmodum uerò qui philosophantur, Peripateticis ante alios adhærendum putant, quòd hi melius de Philosophia, ac de omni uitæ genere rectè instituendo sentire creduntur: ita Senator ueræ religioni instituta, non à Græcis, sed à Latinis sumenda putabit: litteras enim illa natio doctè & sapienter, religionem nunquàm syncerè coluit. Quarè Latinam religionem, hoc est Romanam amplectatur: hæc enim & Dei maximi testimonio, & sanctorum uirorum exemplis, & perpetua hæreditariaque Apostolorum successione, atque adeò omnium gentium consensu uera, sancta, syncera iudicatur: nullaque alia nec fuit, nec est, nec erit, fierique potest uerior, sanctior, syncerior. Huic qui sunt contrarii, aliaq; religionum diuerticula & latibula quærunt, non modò Rerumpub. sed Deorum & hominum hostes perniciosissimi iudicandi sunt. Orandos autem Deos esse puto, uti tandem probata suorum perseuerantia, punitaque delinquentium inconstantia, reuertantur ad nos, Resquepu. pristinæ & auitæ

Senator falsam Religionem habens se natu prohibēdus.

Supplicationes in cogēdo senatu.

Peripatetici.

Senator non Græcæ sed Latinæ id est Romanæ sit Religionis. Romana religione nihil syncerius.

auitæ religioni, fidei, iustitiæ restituant. Sed de iustitia diuina hæc satis sint dicta.

Ciuilis iustitia.

Humanæ iustitiæ, quæ ciuilis dicitur, abstrusa atque recondita est scientia. Quamuis enim à natu rali iusticia fontes eius manant, ob idque eius perceptio & exercitatio facilis, ac communis esse uideatur; tamen non nisi ab hominibus, aut aliqua diuina natura præditis, aut in omni genere uirtutum, studiorumque exercitatis, rectè percipi & exerceri potest. Doctum enim & sapientem hominem requirit, qui non casu, non fortuna, non inuitus, uerùm consilio, ratione, constantia, iustitiam ultrò perpetuoque colat. Talem autem, & tam excelso, exercitatoque animo, Senatorem esse uolumus. Ciuilis iustitiæ uis & usus omnis in Repub. uersatur, & partim in hominum societate tuenda, partim in foro, uel iudiciis exercetur. Nulla virtus est ad Rempub. stabiliendam, conseruandam, emendandam, quàm hæc, commodior & utilior. Cæteræ enim propriis se quasi finibus continent, atque etiam sine hominibus rectè exerceri possunt: iusticia tota in hominum societate tuenda consistit: unde humani generis conciliatrix & coseruatrix dicitur. Nihil turpe, nihil inhumanum, nihil indecorum admittit: omnia honesta, lenia, pacata amplectitur, nihilque magis curat, quàm ut homines, mutua beneuolentia coniuncti inuicem uiuant, & ab iniuriis, seditionibus, odiis, inimicitiis sint alieni: aliorum res non appetant, cuique suum tribuant. Hac Senatorem præditum esse uolumus, huius enim munere publicæ erit utilitatis defensor, innocentium: tenuium, & humilium tutor: superborum repressor, bonorum amator, ueritatis cultor, malorum hostis, uitiorum inimicus. Eius fundamentum fides est, id est ut Cicero definit, dictorum conuentorumque constantia & ueritas. Iustus siquidem Senator, rata & uera omnia non dubia dicet, promissorum tenax erit, stabit conuentis, pacta seruabit, reddet deposita: ad præstandam fidem, non lege, non testibus, non iuramento; sed consensu, dicto, uoluntate propria, tanquam lege quadam compelletur. Vbi uerò ex priuata hominum societate ad Rempub. se contulerit, tum consulendo, curando, prouidendo efficiet, ne in

Qui iustitię capaces.

Ciuilis iustitię vis in Repub. consistit.

Iustitię ciuilis utilitas.

Senator iustus sit.

Iustitiæ fundamẽtum fides.

Officia iusti Senatoris.

iustitia

iustitia dominetur in ea, ne à potentioribus opprimatur, nè priuatorum studiis & auaritiæ succumbat. Magistratus dignis dandos, indignos ab his repellendos curabit: illi enim publicam, hi ne priuatam quidem utilitatem curare sciunt. Commoda quæ propter uirtutem & res præclarè gestas tribui consueuerunt, probis & de Repub. benè meritis ciuibus, danda existimabit. Fortium præterea ciuium uirtutes, præmiis afficiendas, ignauorum uitia, pœnis comprimenda iudicabit; his enim duobus, præmio & pœna, salus Reipub. continetur. In honoribus cuique deferendis, iustum se quoque exhibeat oportet: & quoquisque optimus erit, ita maximo dignum esse honore putabit. In libera Repub. rationem habendam honorum esse puto, est enim is præmium uirtutis: optimus quisque laborum rerumque à se gestarum fructum, honore metitur. Nec est laudanda Respub. in qua peræquè bonis ac malis, prudentibus & stultis, honores tribuuntur. Quarè legibus hos oportet esse descriptos, ut quorum uirtus industriaque sit bonorum approbatione commendata, his honos debeatur. Vnde in antiquorum Rebuspub. statuæ, arcus triumphales, sepulchra publica, laudationes, & alia id genus benè meritis tribuebantur. In congressibus verò & communi hominum consuetudine, ratio est habenda cuiusque ætatis, gradus, conditionis: dandaque est opera, ut diligenter animaduertamus, quæ cuique insunt ex necessitudine, uirtute, usu. Honesto loco natos, summa uirtute præditos, in magistratibus constitutos, diuites, quoniam Reipub. & aliis utiliores sunt, honorandos magis esse putamus, ætati grandiori tribuimus etiam honorem, ei assurgimus, accubatione digniori cedimus. Quoniam uerò bona hominis triplicia sunt, animi, corporis, et fortunæ, omnia hæc iustè in deferendis honoribus obseruanda sunt. Itaque bona animi sint primo gradu, secundo corporis, vltimo externa: si hæc peruerterimus, & diuitias uirtuti ptæposuerimus, iniusti sanè honorum largitores extiterimus, atque hæc non solum in priuatis honoribus exhibendis, sed etiam in magistratibus dandis obseruanda sunt. Omnibus enim ex dignitate rependenda sunt beneficia, atque ius vnicuique suum & honorarium

Officia Senatoris in deferēdo honore.

Honorū in Repu. est habenda ratio.

Qui honoribus afficiēdi sūt

Bona hominis triplicia.

Aequalitas in honorando seruanda.

rarium est tribuendum. Hæc omnia nosse Senator debet, ac in distribuendis honoribus commodisque, æqualitatem maximè seruet; hæc enim est iusticiæ statera, per quam singulorum mores, uirtutes, actiones ponderantur & examinantur. In qua cauendum est, ne plus unquàm ex una pendeat lance, ne ob hoc iniusti dignitatis cuiusque iudices & æstimatores uideamur. Qui enim immerenti plus tribuit, & merito minus, iniquus est & iniustus. Vnde hæc iustitia à Philosophis definitur, habitus animi, communi utilitate conseruata, suam cuique tribuens dignitatem. Inter uirtutes

Aequalitas quantum in Repu. utilis.

quæ ius sibi conseruandæ humanæ societatis uendicant, non postremo loco est æqualitas, iustitiæ ancilla, ministra, & pedissequa: ab ea enim ne pilum quidem, quod dicitur, discedit. Hæc in æstimandis & iustè ponderandis rebus personisque, duplici modo utitur, altero quidem communi & uul-

Aequalitas duplex

gato, numero, pondere, mensuraque cuncta discernente: altero diffic li ac recondito, ratione scilicet & iudicio singula expendente. Hunc solus sapiens cognoscit, & is qui rerum magnarum usum habet: illum tantum his notum esse, qui in rebus emendis, contrahendis, uendendis occupantur. Itaque Senator æqualitatis eius, quæ à ratione & iudi-

Officium senatoris in æqualitate cōseruanda.

cio proficiscitur scientiam habeat, per hanc enim quid cuiq; tribuendum, qui honores exhibendi, quæ commoda largienda, qui magistratus conferendi, quod iustum, æquum, bonum, sapiens, prudens, in omni re, persona, tempore, loco sit, optimè cognoscet. Res magna & ad Rempub. iustitiæq; uim indagandam vehementer necessaria, uidemus enim in hac inuestiganda, multos esse tardos & hebetes,

Duella vndenascuntur.

proptereaq; sortibus, duellis, Martique dubio causas suas discernendas committunt; quæ res non hominum modò societatem, sed Respub. etiam uehementer affligit. Et hæc de iustitia quæ in usu, societate, & consuetudine hominum uersatur, quæ item forum & tribunal non attingit, dixisse sufficiat.

Iustitia forensis.

Est aliud iustitiæ genus, non multum huic absimile, quod iudicia spectat: cuius fundamentum leges sunt, & uiri iusti ac prudentis sententia. Antea quidem hominibus, uti sæpe dixi, ignota legum hæc ratio scribendarum erat, à seipsis ho-

mines

mines leges petebant, non ab legislatorum Iurisconsultorumue Codicibus. Illa uirgo casta, & verecunda, (iustitiam dico) domicilium inter homines antiquitùs habebat, illisque rectè & iustè uiuendi leges & præcepta dabat: hac præsente nihil in hominum cætibus iniustum, nihil dolosum, nihil sceleratum erat. Cæterum vbi facietas iustitiæ cœpisset homines, ac paulatim aliena cupere, iniurias vltrò inferre, plus sibi tribuere, ablatum non reddere, his verò nimium gaudere cœperunt: mox odia, simulationes, inimicitiæ, bella nata sunt: inde bellorum & nocendi reperta instrumenta, quibus non iustitia modò, sed Iupiter etiam ipse cedere cogeretur. Hoc malorum metu pulsa iustitia, terram humanæ regendam licentiæ reliquit, ipsa cœlos petiit, domumque isthic Leoni & Libræ contiguam, sibi delegit habitandam. Vnde iustè imperare volentibus, consilia petenda sunt è cœlo: vitiis enim nostris inquinati, veræ iustitiæ præcepta, sine munere Deorum percipere nequimus. Non abs re Homerus reges, & eos omnes, qui sapientia imperandi præditi sunt, Iouis filios vocare solet. A diis igitur diuinæ huius iustitiæ vis est petenda, eiusque institutis & legibus homines, ad antiquam & auream perfectionem reducendi, illudque efficiendum in hominum societate tuenda, & Rebuspub. gubernandis, quod olim virgo illa cœlestis & incorrupta, dum esset in terris præsens, facere solebat, vti hanc per leges quasi reuocatam è cœlis, nobiscum in terris manere sentiamus. Quod igitur à nobis ratio non potest, vt hic iustè, piè, & sanctè viuamus, certè impetrare debet iustitia, legibus suis nos admonens, adhortans, corrigens, bonis quidem præmia virtutum, malis pœnas scelerum proponens. Est enim hæc constans & perpetua voluntas, ius suum cuique tribuendi, vti Vlpianus docet. Legum sciscendarum ratio propria debet esse Senatorum; exemplo Lacedæmoniorum, Romanorum, & aliorum: hos enim cæteris prudentiæ magnitudine præstare iudicamus. Hæc autem in legibus scribendis, vti Plato instituit, obseruanda putabunt, vt illas Rebus pub. paterno in eas induto amore scribant, non in persona domini & Tyranni quorum ea est consuetudo, vt leges scriptas in vulgus

Iustitiæ imago.

Iustitiæ domus.

Iustitia è cœlo petéda.

Reges deorum filii

Iustitia quid.

Senatores legum latores esse debent.

In legibus ferendis quæ seruāda.

Tyrannorũ consuetudo in legibus ferẽdis. proiiciant, aut parietibus affigant, easque minaciter custodiendas imperent, ipsi curent minus nihil, quàm leges, & illud vulgatum in ore gerunt. Sic volo, sic iubeo, sit pro ratione voluntas. Legislator curare debet, ne magis leges mandatorum præscriptionem, quàm disciplinam morum

Legislatoris officiũ. contineant. Hic legum finis sit, is animus in illis ferendis, vt ciues bonos beatosque efficiant: punire enim delinquen-

Finis legũ tes, necessitatis magis quàm consilii est. Vnde Iustinianus Imperator, legum præcepta tria esse voluit, honestè viue-

Legũ pręcepta tria re, neminem lædere, ius suum cuique tribuere. Si enim leges à vera ratione manant, necesse est vt virtutem solam respiciant, nihilque ab ea differant: sunt enim hæ virtutis,

Leges uirtutum Regulæ. honestatis, rationis, naturæ, & uitæ honestæ, quædam quasi regulæ, à quibus discedere nefas est, easque contemnere non aliud sit, quàm naturam, Deum, virtutem, rationem

Leges contemnens Deũ spernit. spernere ac despicere. Heraclitus Ephesius dicebat, non magis pro mœnibus, quàm pro legibus seruandis, ciues liberos pugnare debere, siquidem sine mœnibus ciuitas consiste-

Pro legibus, nõ p mœnibus pugnandũ est. re potest, sine legibus nullo modo potest. Obseruandæ sunt igitur leges in omni Repub. ab his petenda vitæ, morum bonorum, rerum agendarum, fugiendarumque præcepta. Laudatur Lycurgus, & Solon, quòd eiusmodi leges in Repub. tulissent, quæ ciuibus non solùm eorum, quæ facere deberent, sed quæ in posterum cauerent, scientiam traderent.

Officiũ Senatoris in ferẽdis legibus. Hoc idem Senatori in legibus sciscendis faciendum est, & considerandum, per quæ studia & exercitationes, viri boni fiant, & qui sit in Repub. optimæ uitæ finis. Hac ratione quisque ad propria suæ naturæ studia animum aduertet, in hisq; se exercendo pulchrum putabit excellere, atque alios ubi

Pręmia virtutũ in Repub. proponenda. præmia virtutis erunt proposita superare. Nihil non aggressuri sunt homines, si magnis conatibus magna præmia proponantur, quæ sanè res uitam ociosam, omnium vitiorum matrem, è Repub. exterminat. otio luxuriare & perire vi-

Otiũ Reipub. corruptela. demus hominum animos, verissimèque Cato dixit: Nihil agendo ciues in Repub. male agere discere. Scribit Diodorus legem apud Aegyptios fuisse, qua singuli ciues nomina

Lex Aegyptiorũ cõtra otiosos dare magistratui sua compellebantur, & quo genere vitæ oblectarentur, quomodò uixissent, quàm artem exercuissent,

ſent, referre. Qui mentiri nec ſuo ſatis officio fungi depræhendebatur, vitam amittebat. Dracò otio ciues laſciuire videns, legem tulit, ut otii conuicti interficerentur. Cuius legem nimis duram & ſeueram Solon, infamia temperauit. Imperatores, otioſos & ignauos ciues rebus, & fortunis ſuis priuare iuſſerunt, alii flagris cædi, publicisùe operibus addici cenſuerunt. Sint igitur in Repub. tam pacis quàm belli ſtudia & exercitationes: ex illis ſacerdotes, Senatores, Iudices: ex his Imperatores, Centuriones, Decuriones, pedites, equites, tanquam ex equo Troiano prodibunt. Vnde Reſpub. tam pacis, quàm belli artibus ciues habebit eruditos, qui diuinarum ſimulque humanarum rerum procurationem ritè adminiſtrare, atque finitimorum hoſtium inſidias populſare, fineſque patriæ barbaris ſubiugandis propagare ſcient. Cauendum eſt etiam, ne in Repub. leges quoquo modo mutentur, ſimul enim cum illis mutari hominum mores & ingenia ſolent, & ut populi natura eſt, nouarum ſemper cupida rerum, una lege mutata, reliquas mutare ac euertere uolunt; quæ res non legum modò contemptum, ſed etiam ſeditionem, ac Reipub. mutationem efficit. Veteres igitur ſeruandæ leges ſunt, & quandoque prudenter corrigendæ, & emendandæ, non immutandæ; periculoſa eſt enim vel minimarum rerum in omni Rep. mutatio. Apud Locrenſes ſtatutum erat ſi quis nouam legem excogitaſſet, eam populo prius recitaret, collo fune obducto: ut ſi fortè ciuibus perniciosa & inutilis uideretur, ſtatim conſtrictus laqueus, autorem nouæ legis ſtrangularet. Periandri uox ea communis erat; antiquis legibus utendum eſſe, obſonijs autem recentibus. Intereſt etiam Reipub. ut principes, & illi, qui ſciſcendarum legum poteſtatem habent, peræquè leges à ſe factas obſeruent, atque uolunt ab alijs eas obſeruari. Nihil enim populus magis intuetur quàm principes, eorumque uitam pro lege habet ac obſeruat. Seleucus contrà adulteros lege lata, ut oculos in eo compræhenſi perderent, cùm fortè filium in adultero depræhenſum comperiſſet, totiusque ciuitatis precibus flecti non potuiſſet, ut ſibi ab eo puniendo temperaret, filio unum ſibi alterum effodit oculum, legique parere maluit, quàm non

Draconis lex contra otioſos.
Solonis lex.
Imperatorię leges.
Diſciplinæ pacis & belli iſtituendę in Repub.
Legũ mutatio perniciosa.
Emẽdatio Legum.
Locrenſiũ lex de ſeruandis legibus.
Periandri dictum.
Principes leges cõditas obſeruent.
Principũ uita lex populi.
Seleucus.

parendo efficere, ut legum seueritas & autoritas uilesceret: imperia legum hic potentiora esse uoluit quàm hominum. Duplex est sciscendarum in Repub. legum finis, alter, quo iustitia in hominibus efficitur; alter uerò, quo conseruatur. Primus ad legislatorem pertinet, qui legibus ciues ad uirtutem informat. Secundus ad iudicem, hic enim reprimit delinquentium cupiditates, & conseruat ius omne Reipub. Huic leges, quas in iudicando sequatur, à Legislatore ex Aristotelis sententia præscribi debent, tum propterea quòd uerisimilius sit legislatorem vnum prudentiorem esse, quàm iudices multos: tum quòd is de rebus futuris in uniuersum decernens, ab omni perturbatione sit vacuus, quod in iudice secus euenit, is enim de re præsenti & de certis personis iudicans, affectionibus est obnoxius. Quemadmodum leges bonas condere & obseruare bonum est in Repub. ita disceptationes, & controuersias legibus definire optimum est iudicandum. Inter homines enim nascuntur quandoque contentiones de rebus dubiis, quas dissoluere necesse est iudicem. Est itaque in Repub. iudex, ad componendas lites, ad administrandam iustitiam, non minus, quàm anima in uiuente corpore, necessarius. Is in medio constitutus, exæquat ea, quæ inæqualia putat; non aliter quàm, linea secta in partes inæquales, ubi exæquanda est, hoc quod in parte una superat, illud detractum, adiungitur ad aliam: sic efficit iudex, qui lex uiua & animata, oraculumq; ciuitatis uocatur. Is scire debet se esse legislatoris interpretem, iustitiæq; ministrum, cuius præcipua uirtus sit iusta & uera cognoscere. Quare à legibus & earum sententia sensuque nihil discedere debet, & ita iudicare, uti leges, æquitas iustitia iubet: ob hoc iuratum eum esse conuenit, ut in iudicando meminerit se Deum adhibere testem, id est mentem & conscientiam suam, qua nihil Deus dedit homini diuinius. Ab eius tribunali procul absit ira, & omnis spei, amoris, odii suspicio: nō muneribus corrūpi nō minis deterreri, non adulationibus peruerti debet in iudicando. Vbi enim iudices ad hæc animum aduertunt, eorum à tribunali longè, longius ab animis abest iustitia, nulliq; alii magis seditionibus, odiis, iniuriis implent Rempub. quàm empti

&

Legū sciscēdarū ratio duplex

Legislator iudice prudētior

Iudex anima Reip.

Iudex æqualitatis conseruator.

Iudex, uiua & animata lex.

Iudex legislatoris interpres.

Iudex iuratus.

Iudicis officia.

& constuprati iudices. Bonis iudiciis & æquis in Repu. communis omnium amor conseruatur, cessant quærelæ, odia, inimicitiæ, bella, seditiones: tantùmque in omni Repub. ualent, ut bona totius Reipub. statum conseruare, mala euertere posse uideantur. Hæc iustitia, quæ in iudiciis uersatur, maximum habet pondus ad uitia è Repub. extirpanda: si enim punientur delinquentes, non uiolentiæ, non fraudi, non audaciæ, non temeritati, non iniuriæ locus erit ullus. Huius ab antiquis philosophis, simulachrum pingi solebat uirgo imagine decora, aspectu seuero, & formidabili, oculis pellucentibus, uultu pudico, & modesto, ad grauitatemque composito; quæ imago non aliud significare uidebatur, quàm iudicem esse debere incorruptum & castum, seuerum, acutum, omnia uidentem, grauem, constantem, inexorabilem. Cambyses Persarum Rex iniusto iudici cutem detrahere iussit, eamq; tribunali affigi ubi cæteri iudicaturi erant mandauit, ut exẽplo omnibus esset, ne iniusti & iniqui in iudicando fierent. Hic nobis admonendus est senator, uti eius iustitiæ, cuius in omnes partes utilitatem uidet esse latè diffusam, sit obseruantissimus, & tam in condendis Reipub. legibus, quàm illis exequendis iustissimus. Turpe est eum leges obseruare nolle, qui est custos ipse legum & conditor: imperat hic aliis, imperet huic quoque lex, non hæc tantùmmodò in libris, tabulisque æneis uel ligneis insculpta, sed uiua illa etiam, quæ est indita menti ratio. Solon interrogatus quomodò posset esse salua Respub. si ciues inquit magistratui obediant, magistratus autem legibus. Bias etiam Rempub. eam saluam fore dicebat, in qua leges peræquè omnes, ac Tyrannum metuerent. Iniquum est in omni Repub. leges esse telis aranearum similes, quibus obligarentur tenues & miseri, potentes uerò minimè. Quare senatori cauendum est, ne quid huiusmodi admittat, quin potius leges amandas custodiendas, noctè dieque uoluendas, ac reuoluendas suscipiat. Hoc est enim uerè Senatorium, leges Reipub. scire, & iustitiam colere. Ab hac nimiam seueritatem & crudelitatem abesse uolumus: summum enim ius summa iniuria est, ut dicitur. Sic igitur agendum est, ut ciues magis uereantur seueritatem

Iudex cõcordiæ ciui'is cõseruator.

Iudicia magni in Repu. momenti.

Iustitia iudicialis.

Iudicis p sona qualis.

Cambysis factum.

Senatoris officiũ in seruandis legibus.

Quomo salua possit esse Resp.

Senatoris in iudicãdo officiũ

Summum ius sũma est iniuria

tem eius, quàm atrocitatem & immanitatem deteſtentur. Salutaris ſeueritas, uti Cicero ait, uincit inanem ſpeciem clementiæ. Crudelitas Tyrannorum & barbarorum eſt, nec uitium ullum in Repub. fœdius, deteſtabilius, ac immanius eſt. Ferus igitur non ſit, quemadmodum nec diſſolutus & indulgens: non maior pœna, quàm culpa ſit in puniendo. Romæ pœnarum octo fuiſſe genera legimus, damnum, uincula, uerbera, talionem, ignominiam, exilium, ſeruitutem, mortem. Debet autem in puniendo leges imitari, quæ non turbantur, non commouentur, ſed moderatè & tranquillè perpetrata facinora ulciſcuntur: peccata odiſſe, non homines decet. Curandum eſt etiam, ut quo plus poſſumus, eo moderatius imperio utamur.

Crudelitas fugienda ſenatori.

Pœnarum octo genera.

In puniendo quæ ſeruanda.

Iuſtitia quamuis omnium uirtutum officio, in hominum ſocietate iuuanda utatur, ob idq; Regina earum putetur: tamen habet domeſticas, & proprias familiæ ſuæ ancillulas, ac pediſſequas, quæ non æquè aliarum uirtutum communes eſſe ſolent. Prima omnium pietàs eſt, tum uerò bonitas, innocentia, comitas, benignitas, clementia, amicitia, concordia. His Senator ſi fuerit auctus, ornatus, cumulatus, numeris omnibus abſolutæ & perfectæ, poſſeſſor erit iuſtitiæ.

Iuſtitiæ comites.

Pietate ſeruata, non Deorum amorem modò, ſed etiam hominum beneuolentiam, & fauorem conſequetur. Hæc in rebus agendis, & in dicendo fidem illi conciliabit, nihil enim uanum, nihil ſtultum, nihil fallax cogitare, Diis tantopere aſtrictus putabitur, à quibus amari, ac eorum etiam conſilio omnia adminiſtrare iudicabiturr. Numa Pompilius, ut fidem apud Romanos in tradenda religione ſibi compararet, pietate ſimulata, ſe cum Aegeria coniuge congredi in lucum quendam Camœnis conſecratum dicebat, à Diiſque religionem ac leges quibus Romani uterentur accipere ſe aiebat. Quos igitur precibus & autoritate ad religionem colendam perducere non potuit, hos ſpecie pietatis allexit, ut religionum cultores efficerentur. Salutaris hæc Numæ, licet ficta pietas fuit: quam putabimus ſenatoris noſtri, ſi uera, ſancta, ſynceraq; fiet? Qui autem ritus, quæ cerimoniæ, quæ opera pietatis ſenatoriæ eſſe debeant, non eſt huius loci tractatio. Satis enim quenq; inſtructum eſſe puto, ueræ religionis

Pietatis obſeruatio utilis.

Numę Pōpilii religio.

religionis præceptis ac institutis, de quibus nos etiam in diuina iustitia nonnulla attigimus. Cauenda autem sunt in pietate duo, hæresis scilicet & superstitio: quæ uitia plerunq; in malè sanis mentibus, ueram pietatem peruertunt. Requiritur etiam pietas in parentum amore & obseruantia, quibus à natura debemus omnem reuerentiam, cultum, & beneuolentiam: eos senescente ætate uiribus destitutos, propriis manibus si sit opus tueri, & in periculis adiuuare, iisq; omne auxilium præbere.

In pietate quæ maximè cauenda.

Pietas ergà parentes.

Bonitas requirit, ut simus boni, sumus autem uirtutis actione. Iustus igitur & bonus Senator erit, si ad tantam animi perfectionem peruenerit, ut non modò nolit malè facere, sed etiam non possit: ita ut illud rusticorum apud Ciceronem de eo prouerbium dici queat: qui uirum declarare bonùm ac integrum uolentes, dignum esse aiebant, qui cùm in tenebris mices. Quarè in omnibus actionibus suscipiendis uirtutem sibi ducem proponat, hanc enim secutus, omnia faciet, quæ ad uiri probi iustiq; officium pertinere putabuntur.

Bonitas.

Bonus senator quo modo.

Nihil est, quod magis Senatorem commendet, quàm uitę morumq; integritas ac innocentia: per hanc nulli maleuolus erit, neminem timebit, nullius unquàm inimicus erit, uiuet beatus, sine suspicione, metu, armis, ac insidiis: syncerus, purus, uerus, candidus, ingenuus. Senatoriæ innocentiæ hoc sit fundamentum, omnibus quibus possit prodesse, nocere nemini. Hæc uirtus amat simplicitatem iunctam prudentiæ, nihil fucatum, simulatum, fictum, adumbratum admittit; ideò sycophantas, simulatores, mendaces, delatores, calumniatores senatorum è numero excludit. Liberum esse conuenit in omni actione: seruilis enim res est simulatio. Quemadmodum innocens dicitur, non qui mediocriter, sed qui nihil prorsus nocet; ita sine simulatione is est iudicandus, non qui parum simulat, sed qui prorsus omni caret simulatione. Perinde ut in templum Cereris Eleusinæ, nemo intrabat nisi innocens: erat enim pro foribus inscriptum: Nemo ingrediatur nisi qui suæ innocentiæ conscius sit; sic in sanctum senatus concilium, quasi iustitiæ & ueritatis templum, solos innocentes ac integritate uitę morumq;

Innocentia.

Senatoris innocẽtis officia.

Innocẽtia in quo cõsistit.

Siicophãtia senatori fugienda.

Innocens quis.

Syncerus debet esse Senator. morumq; preditos senatores, intrare uolo. Apertus & syncerus sit senatoris animus, non occultus, obscurus, ac insidiosus: non alia mente teneat, & alia dicat, sed sit eius lingua ueræ mentis interpres; uultus, frons, oculi, non ad fraudes, & dolos instructi, sed natiuæ sint imitatores synceritatis: leuium est hoc & barbarorum, qui boni esse nesciunt, nec officio tantum hominum, sed nomine etiam ipso abutuntur: quibus propterea aut nulla, aut parua semper est fides adhibenda. Noster senator uitia hæc, non solùm ipse non admittet, sed alios admittentes contemnet, atq; à societate sua consuetudineque repellet; cum leuibus, uanis, & futilibus, nihil unquàm commune nec priuatim, nec publicè habebit.

Comitas. Ergà bonos comem eum esse decet, siquidem uehementer conciliat animos hominum comitas, affabilitasq; sermonis. Comis senatoris officia. Quare & in alloquendo facilem, & in audiendo promptum, & in appellando lenem se exhibeat. Absit seueritas, & petulans omnis in dicendo uox, gestus, motus. Ex quo & facetias scurilles contemnet, iocis urbanis & festiuis aut moderatè, aut nunquàm vtetur. Facetiæ senatore indignæ. Senatorem enim non faceta sed grauis, non arguta sed vera, non ridicula sed constans decet oratio. Coniungenda est autem comitati grauitas Senatoria, non illa superbà, inflata, tumida, sed modesta, blanda, & benigna.

Benignitas. Quantopere ad vitam iustè agendam sit necessaria benignitas, Deorum nobis exempla declarant, quorum benignitate iusti & felices sumus. Quemadmodum autem ergà nos Deus benignus est, peræquè nos etiam benignos & humanos erga alios esse conuenit; est enim necesse, vt homo sit homini Deus, quod dicitur. Benignitas priuatim continet in se humanitatem, mansuetudinem, lenitatem, morum atque sermonum suauitatem: publicè verò clementiam, & moderationem in animaduertendo. Senatoris benigni, officia. Quare Senatori in mutua hominum societate, benignum, humanum, suauem esse conuenit, non immanem & durum, ac exemplo Timonis, hominum osorem. Hæc sibi in humanitate sequenda proponat, amare, prodesse, iuuare. Sicut enim Deo religionem & pietatem, sic hominibus amorem & beneuolentiā debemus.

Clementiæ

Clementiæ obſeruatio propria eſt eorum, qui ſunt in magiſtratu conſtituti: per hanc enim animos in pœnis conſtituendis placabiliores retinent. Opponitur ei crudelitas, & quædam in exigendis pœnis atrocitas, qua ſolent uti Tyranni, & illi, qui ſunt omni expertes humanitatis. Draco tam crudelis erat, ut æque otioſos ac parricidas morte puniendos uoluerit, interrogatusque cur magnis & minimis ſceleribus, æqualem uitæ pœnam conſtituiſſet: paruas, reſpondit, ſe culpas, ea pœna dignas exiſtimaſſe, magnis uerò quam maiorem decerneret, inuenire haud potuiſſe. Clementior ac humanior uox illa Scipionis erat, qui ſe malle dicebat unum ciuem ſeruare, quàm mille hoſtium perdere. Nulla ex omnibus uirtutibus homines peræquè commendat, atque clementia: hos uerò potisſimum, uti dixi, qui ſunt in magiſtratu conſtituti; illuſtrior uirtus apparet, cui ſalutaris eſt adiuncta potentia; ſiquidem contra naturam eſt potentem ad nocendum eſſe. Senatori igitur non minùs turpia debent eſſe multa ſupplicia, quàm medico multa funera. Peccandi uerecundiam, facit ipſa clementia regentis. Ita autem retinendam clementiam & placabilitatem cenſeo, ut non negligatur Reipub. cauſa ſeueritas, ſine qua nulla Reſpub. rectè adminiſtrari poteſt. Subeſt huic miſericordia, id eſt ægritudo ex alterius rebus aduerſis concepta, quam ſtoici à ſapiente prorſus remouent, dicentes eam uitium eſſe puſilli animi, ad ſpeciem alienorum malorum concidentis, & propterea peſſimo cuiq; familiarem, ut mulierculis, quæ latrones ex carcere cupiunt lachrimis eripere. Miſericordiam præterea, dicunt, non cauſam, ſed fortunam ſpectare, ex quo ſolam clementiam, quoniam à ratione proficiſcitur amplecti, miſericordiam uitare iubent. Nos eorum diſputationibus omisſis, Senatorem noſtrum clementem & miſericordem, in his, quæ honeſta & iuſta erunt, eſſe uolumus.

Clemētia

Crudelitas.

Draco crudelis.

Scipionis clementia

Senatoris clementis officia.

Seueritas non abiicienda.

Miſericordia.

Stoicorū de miſericordia sētentia.

Humana ſocietas, non his tantummodò bonis, quæ ab animo iuſto, ſyncero, clementi proficiſcuntur, ſed etiam illis extraneis, quæ fortunæ beneficio acquirimus, iuuari conſeruarique ſolet: quorum numero continentur opes, diuitiæ, pecuniæ, quibus noſtram & aliorum uitam, ſiue dando

Q ſiue

siue accipiendo sustentare consueuimus. Quæ enim ad hominum utilitatem natura produxit, ea omnibus communia esse uoluit, non ita quidem, ut nemo proprium habeat, sed ut illud aliis impertiendo, donando, largiendo, commune quantum possit efficiat: ex quo coniunctiones animorum, necessitudines, amicitiæ, beneuolentiæ crescerent. Estq; hæc uirtus liberalitas, per quam ad dandum & largiendum commouemur, ita dicta, quòd homine libero digna sit, liberumq; animum requirat. Cùm uerò multi gradus sint humanæ societatis, & alteri potiores sint alteris, rectè officia liberalitatis conseruabuntur, si ut qui nobis erunt coniunctissimi & proximi, ita maximè in eos munifici & liberales fuerimus. Naturæ igitur sequendus est ordo, ut parentes, filios, cognatos præferamus cæteris, quemadmodum & domesticos alienis, & ciues peregrinis. Cauendum est autem in liberalitate, ne plus demus, quàm res & facultates nostræ patiuntur, neuè minus, quàm dignitatis & humanitatis officium postulat. Qui in largiendo fundum non habent, prodigi: qui nihil dant, illiberales & auari dicuntur. Quę uitia qui uolet effugere (omnes autem uelle debemus,) is uideat oportet cui det, quando, quomodò, quid, quo loco & tempore: nam dare huic, qui satis habeat, nisi illum maioribus egere credas, aut studio id magnificentiæ facias, iniustum est. Quæ danda sint autem cuique, scire debemus: malè siquidem dederimus sacerdoti clypeum, militi libros, colono sagum. Dare igitur debemus primùm necessaria, deinde utilia, tum iucunda & diuturna: causa enim largitionis est necessitas & utilitas. In dando honestatis potissimum est habenda ratio, nec committendum, vt in res, aut personas turpes, liberalitatis officio abutamur: benefacta enim, uti Ennius apud Ciceronem, malè locata, malefacta putantur. Beneficium accipit qui digno dat, vt dicitur. Solent plerique temerè, ac impetu quodam animi, quasi uento concitati, liberales esse; quorum beneficia nullam laudem merentur: non enim conuenienter, deliberatè, iudicio donantur; talesque donationes, uanorum ac leuium esse solent. Hæc igitur senatori fugienda, illa obseruanda sunt in liberalitate. Nulla uirtus est, quæ magis hominum

[Marginal notes: Cōmunia oīa quomodo. — Liberalitas vnde dicta. — Officia liberalitatis quomodo cōseruari debeant. — In liberalitate quæ cauenda. — Prodigi. — Auari. — Quæ seruanda in liberalitate senatori. — Honestas in liberalitate spectanda. — Vicia in liberalitate quę.]

minum conciliet beneuolentiam, quàm hæc: ſiquidem per eam & alios iuuamus, & animi noſtri iuſti, liberalis, & ſynceri ſignificationem declaramus. Quid eſt aliud liberalem eſſe, quàm imitari Deum? vt quemadmodum ille ergà nos liberalis eſt, ita nos quoq; ergà alios ſimus. Cauendum eſt autem, ne ex rapinis, ſpoliiſque aliorum benefici ſimus: iniuſta eſt liberalitas, quæ damnis aliorum exercetur. Dandum eſt igitur ex bonis, quæ iuſtè uel noſtra, uel aliorum opera acquirimus; & iis potiſſimum, qui noſtris opibus meliores euadant, & tam liberis, quàm militaribus diſciplinis Reipu. ſint profuturi. Liberalitatis illa eſſe putantur, locupletare tenuiores, captos à prædonibus redimere, æs alienum propter amicos ſoluere, in collocatione filiarum adiuuare, in re quærenda uel augenda opitulari, & alia multa, quæ uix enumerari poſſunt. Ex multis erroribus, qui committi ſolent ab hominibus, nulli ſunt pernicioſiores, quam hi, cùm beneficium nec dare ſciunt, nec accipere. Delectus igitur perſonarum habendus eſt, tum mores cuiuſq;, uoluntas ergà nos, & dignitas uitæ perpendenda: nihil eſt enim liberale, niſi quod iuſtum. Neque ſolum pecuniis liberalitatis officium exercetur: alii re, alii fide, alii gratia, conſilio, autoritate, interuentu, & huiuſmodi rebus adiuuandi ſunt: quod genus beneficentiæ ſplendidius, & ſenatore dignius putandum eſt: illud enim ex arca, hoc ex uirtute depromitur, & nunquam exhauritur, nec minuitur. Scipionis Africani inter alias uirtutes non poſtrema fuit hæc, quòd nunquam domum redibat, quin prius aliquem beneficio ſibi deuinxiſſet. T. Veſpaſiani filius, quo die beneficium in aliquem non contuliſſet, dicere ſolebat, Amici diem hodie perdidimus. Liberalitatis etiam eſt, reddere beneficia ab aliis accepta, & multò cum maiori fænore, quàm acceperimus. Hæ leges duorum ſint in donando, alterum obliuiſci debere dati, alterum accepti nunquam: commemoratio beneficii exprobratio eſt, ingratus animus Diis & hominibus odioſus. Fugienda eſt etiam in dando, illiberalis quædam acerbitas animi, ne ſcilicet inuiti, dolentes, & coacti demus, ſed libentes & uoluntarii, pecunia & res aliæ, quæ dantur, non tam beneficia ſunt appellanda, quàm beneficiorum ſi-

Liberalẽ eſſe, Deũ imitari ẽ.

Quæ cauenda in liberalitate.

Liberalitas in quo conſiſtit.

Liberalitas uirtutis.

Scipio Africanus.

T. Veſpaſianus.

Liberalitatis leges

lex erat, ne quis senator plus duo millia denarium debeat, quæ res sumptibus & luxibus præcidendis excogitata fuit. P. Rufinus à Censoribus senatu motus, quòd decem pondo argenti facti haberet. Aemilius Lepidus, ob sumptum habitationis Senatu eiectus, sex millibus enim habitabat. Senatori igitur ita viuendum est, vt magnificum & liberalem se bonis exhibeat, non pecunię modò, sed etiam fidei consilij, & beneuolentiæ muneribus: quæ virtutes conciliant ciuium inter se animos, ac efficiunt amicitiam & concordiam, quæ uincula sunt ciuitatum & Rerumpub. omnium. Senatoris magnifici officia. Amicitia vinculum cōcordiæ.

Sic à natura comparatum est, ut sine amicitia nullus unquam homo uiuere possit, etiam si tantis opibus affluat, ut nihil illi ad uitam commodè agendam deesse uideatur. Homo enim natura ciuile est animal & societatis amans, propterea que fructu consuetudinis humanæ, nulla ratione carere potest. Ex eo fonte naturales illæ amicitiæ coniugiorum, cognationum, affinitatum profluunt. Natura enim amans hominum est, eosque non morum modò & beneuolentię nexu, sed etiam sanguinis uinculo colligat ac conglutinat. Videmus in omni Repub. legislatores, in condendis legibus nihil magis curare, quàm ut ciues inter se sint amici: in qua enim Repub. amicitiæ iura coluntur, in ea seditiones, inimicitiæ, odia, magnas uires habere non possunt: concordia, pax, tranquillitas, amor, beneuolentia regnat, quæ res ciuium uitam beatam efficiunt. Solem è mundo tollere uidentur, qui amicitiam è Repub. tollunt. Summum igitur bonum in amicitijs sentiunt Respub. hæc enim si adsit, nulla ciuilis dissensio nasci potest, desiderabunt omnes propter uehementem amorem uelut amantes coniungi, & ex multis, ut Pithagoras dicit, unum effici: ea enim est uis amicitiæ, ut unum ex pluribus efficiat animum. Hæc à Lælio definitur diuinarum, humanarumque rerum, cum beneuolentia & charitate summa consensio. Multa genera amicitiarum sunt, quibus homines inuicem coniunguntur: quædam enim sanguinis, quædam cognationum, quædam affinitatum communione crescunt. Cæterum ciuilis amicitiæ, quæ inter ignotos suscipitur, cuius fundamentum uirtus est, difficilis est obseruatio: diuersa enim hominum studia efficiunt, ut boni

Amicitia. Homo ciuile animal. Amicitiæ magnavtilitas i Repub. Amicitia quid. Amicitiarũ genera.

plus ſibi tribui, quod ubi fit, dirimitur amicitia. Quæ res maximè cauenda eſt:id enim,quod prẹſtari poteſt,non quod ſufficiat, requiritur in amicitia. Hoc in honore Dijs,parentibus, & præceptoribus reddendo perſpicitur: quibus nemo vnquam æqualem meritis honorem & gratiam referre poteſt: cẹterum qui eos pro uiribus obſeruat, is probus & pius haberi ſolet. Stultorum quoque cauenda eſt amicitia: horum enim nimia familiaritas generat contemptum. Hæc in amicitia Senatori obſeruanda sunt, tum plura alia, quæ in uſu melius & conſuetudine, quàm præceptis compræhendi poſſunt: in quo nunquam eſt diſcedendum à iuſtitia. Efficiendum eſt quoque ut Senatorum amicitiam cæteri ciues,incolumitatis ſalutiſq; ſuæ tanquam teſſeram habeant. Nihil enim pulchrius eſt, quàm principes ciuitatis uideri inter ſe amicos, pares, ſocios, beneuolos. Quæ poteſt eſſe concordia & conſenſus ciuium in Repub. diſſentientibus eius Rectoribus & adminiſtratoribus? Ariſtides & Themiſtocles tametſi mutuis certare ſolerēt odijs, tamen quoties legati,ſiue Imperatores publicè mitterentur, in finibus agri Athenienſis priuatas ſimultates & inimicitias deponebant, reſumpturi,ſi ita viſum eſſet,in reditu.Generoſi ac excelſi eſt animi, iniuriarum obliuiſci, ac eas contemnere: qui id Reipub. cauſa faciunt, iuſti & boni uiri ſunt appellandi; nolle enim eas inimicitias deponere, quibus etiam amicus ſit periturus, hominis eſt inhumani, barbari, & agreſtis. Amicitiæ immortales, inimicitiæ mortales eſſe debent. Eſt etiam amicitiæ ſocia hoſpitalitas, qua non tantùm notos nobis, ſed ignotos etiam & peregrinos, domeſtica excipimus humanitate & beneuolentia. Hæc uirtus,non ſummam modò laudem & gloriam nobis, ſed etiam dignitatem adfert. Tantaque ſunt eius iura, ut ea Romani in hoſtibus ſeruarent, neque prius quàm hoſpitalis ſoluta manus erat, cum hoſtibus congrediebantur. Senator igitur non ipſe modò ſibi amicitiam colendam putabit, ſed alios quoque ad eam ſeruandam & retinendam hortabitur. Magnus enim eſt uſus in Repub. amicitiæ, atque etiam maior,quàm iuſtitiæ, ſi in ea conſtanter omnes perſeuerauerint. Plato cùm nulla alia citius uirtute Rempub. felicem effici poſſe iudicaret, in

Senatorū amicitia.

Ariſtidis & Themiſtoclis diſſenſiones.

Senatoris officiū in deponendis inimicitiis.

Hoſpitalitas.

Vſus amicitiæ ī Repub.quantū valeat.

bunt dissentientes? Quare aut reconciliandi sunt dissidentium animi, aut sententia dicenda; senatuque priuentur, puniantúrque qui priuatum odium, publica pace & tranquillitate potius habent. In Senatu nihil dissentiens, nihil maleuolum, nihil seditiosum esse debet. Hæc verò de concordia & iustitia dixisse sufficiat.

Quoniam autem uariis incommodorum periculis, exposita est uitæ nostræ conditio, quæ uel perferre, uel fortiter propulsare nos semper conuenit, ideò de fortitudine, cuius armis omnes impetus animi, fortunæque uincimus, dicendum est. Fortitudo.

Expeti solet ab hominibus uitæ genus tranquillum, pacatum, & nullis periculis, incommodisùe obnoxium: talemque uirtutem esse putant, quæ id maximè efficiat, ut possessores suos, perpetuis molestiis, curis, solicitudinibus, angoribus, uacuos atq; liberos faciat. Sed errant illi mea quidē sententia, qui putant uitam hominis transigi posse iucundè sine adiunctis illi periculis ac perturbationibus. Sic à natura comparatum est, ut uariis casibus exposita sit uita nostra, quibus animi non minus, quàm corpora, sudore & laboribus: sic illi perturbationibus exerceantur. Neque enim uirtutis ullus, aut uitæ beatæ gustus esse posset, si malorum expertes simus, quibus quandoque superatis, quasi post labores exantlatos, dulciori fruimur uitæ beatæ fructu. Virtus non est domina solitarię otiosæque uitæ, labores amat, in periculis exultat, gaudet, triumphat. Vnde Hercules, uiam uoluptatis latam & amplam, facilemque spreuit: uirtutis autem arduam, difficilem, asperam est amplexus. Contemnat oportet uoluptates, humanas despiciat res, uitam fugiat otiosam, timere, formidare turpe putet, qui uera uirtutis uitæque beatę frui cupit posesſione. Neque solùm in paranda & acquirenda uirtute omnes nos molestias superare decet, sed multo magis etiam cum uirtute, si quæ ingruerint calamitates, dolores, pericula tolerare, & magno excelsoque animo uincere. Quaquidem in re ab ipsa uirtute iuuamur, quæ nos constantes, animosos, strenuos, & potentes efficit: nulla res tam dura, tam difficilis est, quam non uirtutis uis expugnet, ac in suam potestatem redigat. Ea

Virtus in aduersis exultat.

Herculis uia.

Fortitudo.

autem animi nostri excellentia, fortitudo dicitur: hoc est affectio uirtuti in uincendis, perpetiendisq; rebus obtemperans: hæc verò uirtutum omnium est ornamentum. Prudentiæ, iustitiæ, temperantiæ vis & natura, mollis quodammodò per se est & affœminata, sine fortitudine: illarum est tantùm sentire & facere, at huius constanter, animosè, uiriliter & facere & sentire. Digna Senatore uirtus, sine qua nihil unquam ille præclarum, nihil magnum, nihil memoria dignum cogitarit feceritùe. In hac cauendum est, ne audaces, superbi, & temerarij, neuè timidi, ignaui, aut imbelles simus. Qui fortis esse vult, is ita sit affectus oportet, ut omnia propter uirtutem faciat, & in suscipiendo periculo ratione, non casu, aut temeritate, uel audacia ducatur. Est autem fortitudinis laus omnis sita, partim in domesticis & publicis, partim in militaribus actionibus. Domestica fortitudo vitam beatam & felicem ornat: illiusq; proprium est, uacare omni animi perturbatione, cupiditate, metu, ægritudine, uoluptate, iracundia, & cæteris affectionibus, ut tranquillitas mentis adsit, cum constantia, & uitæ dignitate. Fortitudo militaris, in perferendo omni labore & periculo uersatur, potissimum verò in contemnenda morte, honestatis & Reipub. causa. Fortis igitur Senatoris est, non perturbari in periculis, ac ea omnia subire & pati, quæ factu uidentur esse honesta, & non factu turpia. Hoc est proprium fortitudinis, & magnitudinis animi, nihil extimescere, omnia hæc humana contemnere, nihil non ferendum putare. Sic igitur affectum, & animatum Senatorem esse oportet, ut omnes animi, ingenijque sui dotes, omnesque uirtutes, fortitudine velut aliquo sapore temperet, ac condiat. Quemadmodum enim cibi sine sale, sic uirtutes sine fortitudine iudicantur insipidæ. Hæc animum & corpus nostrum, ab omnibus aduersæ fortunæ telis defendit; hæc in prudentia quietos, in temperantia constantes, in iustitia strenuos, animosos ac inuictos, nos efficit. Proinde animo semper decet esse forti, ac in rebus suscipiendis stabili, in despiciendis magnanimo, in perferendis imperterrito. Non caret fortitudo sibi uirtutum subditarum grege: comites eius sunt, magnanimitas, constantia, patientia, fidentia, securitas.

Comparatio uirtutũ cũ fortitudine. *Sine fortitudine senator esse nõ potest.* *Fortis uiri officiũ.* *Fortitudo duplex* *Priuata fortitudo.* *Militaris fortitudo.* *Fortis senatoris officia.* *Zenonis fortitudo.* *Comites fortitudinis.*

Quæcun-

Quæcunq; in aliqua virtute maxima & præclarissima putantur, ea facere & inuestigare magnanimi est. Virtus hæc eius primum in ambiendis honoribus perspicitur, siquidem eos contemnit, quos virtute sua putat inferiores. Ad honores autem virtutum vestigijs conscendit, quasi Marcelli illud imitatus, qui templum honori ex præda Syracusana construens, eius vestibula sic constituisse dicitur, ut in illud nemo nisi per uirtutis ædem, quæ huic vicina erat, ingredi posset: existimabat ille honoribus, per uirtutem debere aditum patere. Hoc Senator magnanimus in petendis adeundisq; honoribus etiam obseruare debet. Ignominias præterea leues despiciet: huic enim sic excelsa uirtute prædito, nemo unquam infamiæ, uel notam, uel maculam inurere potest. Eundem etiam animum tam in aduersis, quàm in prosperis habebit, fortisq; & magni animi splendorem, in grauibus & arduis periculis superandis declarabit, etiam si moriendum illi sit: huic enim honesta mors, initium erit uitæ: quæ Senatori forti subeunda est alacrius, propter honestatem gloriæque immortalitatem. Viuet seculis innumerabilibus Codrus, qui se pro patria in bello deuouit, vt exercitum saluaret. Durabit in perpetuum fama Curtij & Sceuolæ, quorum alter in uoraginem se præcipitauit, ut peste Romam liberaret, alter manum exussit, ut hosti declararet, Romanos pro patriæ salute defendenda fortes esse solere. Fortium uirorum memoria immortali honore consecratur, talesq; merentur, ut per omnium annalium monumẽta celebres prędicentur. Erit etiam magnanimi Senatoris, uerè ac constanter de rebus omnibus iudicare, in eoq; non imitari uulgus, quod casu & ut res tulerit iudicat. Veritatis quoque patrocinium libenter suscipiet, nihilq; propter eam dissimulabit, & ex eo pronus quodammodo erit ad malos apertè contemnendos, nisi putarit dissimulandum, quod facere prudentes solent, personarum & temporum necessitati astricti. Beneficium item in alios libenter conferet, item illud grauatim & uerecundè pudenterue accipiet; Hesiodique illud in referenda gratia imitabitur, qui maiore mensura beneficia accepta reddere iubebat, quàm data sunt: inferior enim est is qui accipit, eo qui dat. Taxilis unus è nu-

Magnanimitas in quo consistat.

Ascensus ad honores qualis esse debeat.

Tẽplũ honoris.

Magnanimi Senatoris officia.

Codrus.

Curtius & Scæuola.

Officium beneficientis.

Taxilis. mero Regum Indiæ, uti refert Plutarchus, occurrens Alexandro magno, sic eum est adortus: Prouoco te, inquit, non ad bellum, neque pugnam, sed ad aliud certaminis genus; si inferior es, à nobis beneficium accipe, si superior; benefacito nobis: cui Alexander respondisse fertur, certandum est, inquit, nobis uter benefaciendo superet alterum, sicque illum complexus est, illique regnum seruauit & auxit. Libenter etiam beneuolentia cunctos prosequetur, ac æquabilem se pręstabit omnibus, iis uerò maximè, quorum fortunas mediocres esse uidebit. Cũ illustribus magnanimus & excelsus erit, inter hos.n. gloriari & prædicatione se mediocriter extollere, generosi hominis est: inter humiles leuis esse putatur; ex illo gloria, ex hoc odium nascitur. In suscipiendis inimicitiis causas iustas & honestas spectabit, in quibus non sit occultus & insidiosus, sed patens & apertus. Est enim ingenui apertè odisse, non occulta fronte celare acerbitatem. Iniurias etiam magnanimus Senator propulsabit citius, quam inferet, sibi autem illatas negliget: iniurias enim & pericula cætera contemnere ac pro nihilo ducere, magnanimi est; muliebre putatur, furere in ira, ferarum uerò quarundam, ne nocere quidem elephantes & leones, quos humiles uident, prætereunt. Rerum quoque honestarum studio potissimum ducetur, utiles moderatè concupiscet. Viuet suo non alterius arbitratu, amicorum consiliis magis, quàm aliorum exemplis acquiescens. De nullo male sentiet, loquetur, aliumùe loquentem audiet. Nemini iniustè irascetur, est enim hoc seruile. Verum est illud Nasonis.

In suscipiẽdis inimicitiis q seruanda.

Iracundia fugienda.

Quo quisque est maior, magis est placabilis iræ:
Et faciles motus, mens generosa capit.

Solent plerique magnitudinis animi splendorem, elata quadam & superba arrogantia obscurare: hi uerò maximè, qui uel uirtutis, uel dignitatis suæ rationem non rectè examinant, plusque sibi, quàm homines bonos & prudentes deceat, arrogant: quæ sanè uitia senatori fugienda sunt, imitandumq; Tullianum illud, eo quò superiores sumus, nos submissius geramus: est enim arrogantia odiosa omnibus & molesta. Cauenda uerò est leuitas, & pusilli animi turpitudo: qui enim iniurias, contumeliasque negligit, easque ob

Arrogantia.

timorem

timorem, uel incuriam occultat, mancipium esse uidetur. Sunt nonnulli, qui licet boni & prudentes sint, res tamen magnas & excelsas spernunt, indignosque se patriæ & amicorum commodis tuendis, propter ignauiam iudicant. Tales igitur stulti ac desidiosi sunt existimandi.

In omnibus dictis & factis, ac in perferendis si quæ unquàm contigerint aduersitatibus, seruare constantiam fortem senatorem decet: mobilis animus, nullaque in re sibi constans, Proteoque (quod dicitur) mutabilior, tam illum dedecet, quàm fraus & dolus. Laudem illa merentur, quæ cum iudicio, & ratione suscipiuntur: uerùm, si absit ab his perseuerantia, sanè turpia iudicantur. Oportet enim non solùm ipsam actionem iustam, honestamque esse; sed etiam consilium constans & stabile, nunquàm ab ea discedendi. Aristidis constantia summam meretur laudem, à quo cùm Dionysius filiam in matrimonium peteret, respondit mortuam se, quàm Tyranni uxorem uidere malle: & cùm eam occidisset, iterumq; quereretur, an in eadem sententia perstaret, respondit: factum dolenter ferre, dicto lætari. Catonis constantiam quis etiam non admirabitur? quem nemo unquàm in afflicto illo Reipub. statu mutatum uidit, idem color, uultus, oculi, motus, dum prætorem ageret, dum repulsam pateretur, dum accusaretur: in prouincia, in concione, in exercitu, in morte, in illo denique Reipub. timore, cùm Pompeius uictus esset, Cæsar armatus & uictor Rempub. occupasset. Xantippe de Socrate marito prædicare solebat, eodem uultu semper eum, quo exisset, domum reuerti solere: nimirum ea fuit philosophi mens, quæ nec aduersis unquam, nec secundis rebus conturbari potuit. In perpetiendis igitur doloribus, firmos & stabiles nos esse decet, & omnia pericula molestiarum ægritudinum, sollicitudinum, posteriora putare animi constantia; exemplo Reguli Romani, qui quàm captiui Pœnis redderentur, ultrò pœnas sustinere maluit. Anaxarchus à Nicocreonte Cypri Tyranno uerberatus, dixisse fertur; corpus, inquit, meum scindere & percutere, constantiam uerò animi nullo modo potes. Cæterum in hac maximè cauendum senatori est, ne in rebus iniustis retinendis sit stabilis: constantia enim uir-

Constantia.

Aristidis constãtia.

Catonis cõstantia.

Socratis constãtia.

Regulus.

Anaxarchus.

tutem

tutem ſemper imitatur. Pertinaciter opinionem, rationi bonisque & ſapientibus uiris aduerſam defendere, tum in dolore ex iniuſta cauſa nato perſeuerare, non conſtantiæ, ſed pertinaciæ & peruicaciæ, non ſanæ, ſed ſtultæ & temerariæ malæque mentis eſt. Requiritur etiam conſtantia in uitæ genere deligendo, & quod quis delegiſſet retinendo & amplectendo: qui in hoc inſtabiles ſunt, in cæteris quoq; omni conſtantiæ laude carere cenſendi ſunt. Conſtantia bonorum conſiliorum & actionum eſt conſeruatrix: fruſtra namque prudenter deliberamus, ſi noſtra conſilia more Euripi fluant & refluant. In ſecretioribus ſenatus conſiliis retinendis, nec unquàm euulgandis, ſumma conſtantia quoque requiritur. Agitur enim in ſenatu quandoq; de rebus huiuſmodi, quas oporteat ſanè pro tempore, non modò peregrinum, ſed etiam ciuem ignorare. Leuis autem eſt animi & uehementer inconſtantis, enunciare myſteria, quæ aguntur dicunturùe in ſenatu: propterea Romanis de rebus magnis conſultantibus, neque Pedarii ſenatores, nec ſcribæ aderant, ipſique ſenatores officia ſcribarum explebant. Patebat etiam iuuenibus patritiis ante curia, ſed poſt Papirii facinus illud nobile & memorabile, in ſenatum ueníre sunt prohibiti, ne iuuenilis inconſtantia in euulgandis ſe natuſconſultis damnum aliquód Reipub. poſſet adferre. Hic matri aliquando efflagitanti, de qua re tam diù in Senatu diſputatum eſſet, diſſimulata ueritate, magnam fuiſſe contentionem in ſenatu reſpondit, utilius ne eſſet Reip. uirum duas uxores, an uerò mulieri duos habere uiros.

Quę cauēda in conſtantia.

Conſtantia ī ſecretioribus conſiliis retinenda

Papyrius.

In fortitudine ſpectari etiam patientia ſolet, & quædam in rebus aduerſis tolerantia. Hæc à Tullio definitur, honeſtatis aut utilitatis cauſa rerum arduarum ac difficilium uoluntaria ac diuturna perpeſsio. Huius in bello uſus eſſe ſolet maximus: hi enim qui militant, & ſe, uitamque ſuam periculis exponunt, omnia patienter ferunt, honeſtatis & utilitatis cauſa. Senatori domeſticis & Reipub. negociis & difficultatibus aliquando diſtento, non eſt hæc abiicienda: multæ enim accidunt in Repub. moleſtiæ & ſollicitudines, quas patienter tolerare conuenit. Coriolanus in repulſa conſulatus petendi, ſapientius certè feciſſet, ſi patientia a-

Patientia.

nimique

nimiſque ſuperbi remisſione uſus fuiſſet,non enim eius uitam tanta fuiſſent conſecuta pericula. Rectè ſanè dicitur, cuius dolori remedium eſſe patientiam: ferenda enim non culpanda ſunt, quæ mutari non poſſunt. Hac animi tolerantia præditus Senator, facilè modum inueniet, dolores tam priuatos, quàm publicos concoquendi & contemnendi; qui enim dolores perferre nequit mollis ac effœminatus; qui eos ſuperat, patiens rectè dicitur. In patientia uerò cauendum eſt, ne multitudine & grauitate iniuriarum concitati eferueſcamus: inducit enim furorem læſa ſæpius patientia, qui ſanè, moderatione animi leniendus eſt: quæ autem neceſſariò ferenda ſunt, ea uirum quenq; ferre decet, ſiquidem dolor omnis patientia uincitur.

Patientis ſenatoris officia.

Quę cauēdam patiētia.

Fortes etiam nos plerumque facit, quædam animi confiſio, hoc eſt de bono rei ſucceſſu concepta præſagitio: quæ uirtus fidentia dicitur, per quam magnis & honeſtis in rebus, multum ipſe animus in ſe fiduciæ certa cùm ſpe collocat. Hæc à prudentia, conſilio, ſpeq; optima proficiſcitur: cùm ſcilicet ſcientiam alicuius rei & opinionem, rationi non temerè aſſentientem habemus: quæ nos impellit, uti ea, quæ putamus honeſta, metu omni amoto fortiter faciamus: qui eſt enim fidens, is non extimeſcit. Iulius Cæſar in bello Pharſalico C. Craſtinum optima ſpe in pugnam egredientem, interrogaſſe fertur, ecquid de euentu belli ſperaret? at ille manum extendens armatam, uinces inquit, Cæſar, & me uiuum, aut certè mortuum laudabis: quod certè euenit, nam hic fortisſimè pugnando occubuit, eumque Cæſar pro concione laudauit. Ex conſuetudine uincendi, fidentiam naſci dicit Ariſtoteles. Neq; solùm ex hac, ſed etiam ex alijs rebus eam capere ſolent nonnulli. Scribit Plutarchus Aegiptium quendam philoſophum Antonio comitem ſemper fuiſſe. Hic cuiusque hominis naturam, felicitatem, fatum, ex ſolo aſpectu cognoſcere ſe aiebat, unde Antonij fortunam laudare, uerùm Octauij Auguſti longè anteferre ſolebat: Antonium etiam rogare, ne ſe illi pręferre uellet, eius enim genium Octauij inferiorem eſſe, idque cùm ex multis, tum ex eo conijcere ſe dicebat, quòd luſu talorum, uel pugna gallorum, coturnicumùe, ſemper

Fidentia.

Fidentia ex quo oriatur.

Aegyptum, Babylonem, Persas attigerunt, uti uariarum scientia rerum imbuti, animum gererent securum, & sorte sua perfectioneque contentum. Eius tum in Repub. vtilitas perspicitur, cum omnia pacata & tranquilla, periculis timoribus, querelis, tumultibus libera sunt: quam rem, meritò quis felicitatem Reipub. uocauerit. In hac cauendum est, ne ex rebus incertis, leuibus, & falsis, neue etiam ex desidia, languore, negligentia securi simus. Pompeius magno contra Cæsarem exercitu comparato, uidebatur esse securus, illosque, quibus Cæsaris diligentia suspecta erat, monentes ne desidiosus esset, securos esse, ac in utramque aurem dormire iubebat. Fefellit autem eum hæc securitas, nam uictus aufugit, fugatusque est à Cæsare. In multis profectò Rebuspub. id euenire solet, ut post longam pacem, quædam in eis dominetur securitas, quam potius vocarimus desidiam, languorem, inertiam, ignauiam. In ea enim negligi uidemus ea omnia, quæ ad statum Reipub. prudenter gubernandum, pericula auertenda, ciues fortes, & iustos efficiendos pertinent. Roma nulla certè alia, quàm militari uirtute, magnum sibi parauit imperium, adeo ut non arma tantùm, sed etiam iura Romanorum longe protenderentur. Hæc à Romulo, ad tempora usque Octauii Augusti, nunquam è manibus arma dimisit. Pacato autem imperii orbe, secundus post Numam Octauius Augustus, quod nunquam claudi, nisi pacis tempore solebat, Iani templum clausit, securã quasi iam reddens urbem, à bellicis tumultibus. Erat igitur Roma secura, nec Iani templum, à cæteris posteà Imperatoribus apertum legimus: uitam enim otiosam hi magis, quàm laboriosam fuerant amplexi: adeò ut succedentibus temporibus, omnia regna, prouinciæ, ciuitates, iugum Romanorum excusserint, seque in libertatem uindicarint. Roma nudata ac omnibus exuta præsidiis, Gothorum succubuit imperio. In Repub. igitur securitatem eam senatori amplectendam censemus, quæ in periculis fugiendis, prudenti cautione, & prouisione non caret. Felix enim est ea Respub. quæ tempore pacis bella tractat.

Securitas Reipub.

Quæ fugienda in securitate.

Senatori quæ securitas amplectenda.

Illa autem prætereunda non uidentur esse, quæ ad fortitudinem homines, maximè uerò milites impellere, ac excitare

Quæ fortem efficiant.

citare solent. Inueniuntur plurimi, qui virtutis & honestatis impulsu, uulnera ac pericula libenter subeunt, ac pro patria, Regibus, amicis, uitam in pugna quàm uoluntatem malunt deserere. Profectò nostra gens, eam sibi gloriam iustè uendicat, quòd in bellis, virtute potissimum & honestate ducitur. Legimus Romanorum, Macedonum, Persarum, Assyriorum, Germanorum, Gallorum res gestas, quorum Imperatores, pugnaturos milites uariis modis in hostes animabant; & partim exercitus potentia, partim Imperatorum uirtute, partim maiorum rebus gestis, partim hostium spoliis, præda, diuitiis animos militum exacuebant. Nostrorum Imperatorum, non alia solet, ad milites esse oratio, quàm hæc, ut quisque uirtutis suæ memor sit & honestatis: proinde, aut uincere, aut mori, Polonorum semper fuit. Qui igitur hoc modo sunt affecti, ut propter uirtutem & honestatem quiduis aggrediantur, idque non casu, sed iudiciò faciant, verè fortes dicendi sunt, quemadmodum & illi, qui gloriæ, laudisq; studio accenduntur ad res fortiter peragendas. Talium uirorum illustres actiones in Repub. debent etiam præmiorum insignibus decorari.

Poloni honestatis amatores.

Præmia militum.

Quamuis enim milites artem potius sciunt, qua superent hostem, quàm qua ciuem regant, tamen si qui prudentes inter eos fuerint, Senatoria debent insigniri dignitate. Aequum est namq; vt illi togati aliquando ciuili tranquillitate fruantur, qui pro patria summos pertulerunt labores. Romæ in Senatum cooptabantur, qui spolia domi ex hoste fixa, uel qui ciuicam coronam haberent. Vrbanos etiam magistratus gesturi, decem annos militare debebant. Regulus aliquando senatu motus, cùm hoc indignissimè pateretur, nihilque aliud ad sustinendam Senatoriam dignitatem adferre posset, lacerata ueste pectus nudauit, in eoque cicatrices multas ostendit, stipendia enumerans, pro salute Reipub. toties suscepta. Vnde persuasit ut iterum in senatum admitteretur.

Desperatio.

Sunt nonnulli, qui uitam prorsus contemnentes, quadam desperatione inducti, periculis se temerè obiiciunt, fortium uirorum in eo facta se imitari credentes, illudque in ore Poetæ habent.

Van

Vna salus uictis, nullam sperare salutem.

Numantini potius quàm clementem hostem experirentur seipsos occidere maluerunt. Hoc idem Saguntinos fecisse Liuius scribit. Cauendum est semper, ne quid desperatè faciamus. Qui desperant, iam à fortitudine recedunt, & rebus aduersis infracti, mortem propter timorem, uel ignauiam subeunt. Fortis uir autem, uitam iudiciò contemnit, & fortiter dimicat, non tanquàm omni spe destitutus, sed quia ita putat factu esse honestum & necessarium; unde & mori uult potius, quàm turpi aliquo uitio uitam contaminare suam: mortem enim honestam, uitæ turpi præfert.

Iram Peripatetici fortitudinis cotem esse dicunt, qua leuiter commoti homines acriorem animũ ad res gerendas acquirunt. In hac fugiendus est furor, & rabies quædam immanis, ne furibundi potius, quàm fortes dicamur: id autem uitabimus, si iram in fortitudine comitem, non ducem sequemur. Nihil est turpius omni quidem homini, maximè uerò senatori, quàm aliquid agere per iracundiam: qui hac ducuntur, bestiarum mores imitari uidentur, quæ dum excandescunt, ultionem appetunt. In omni igitur actione forti suscipienda, honestum & ratio præsit, ira uerò sit auxiliaria. Iram neruos animi Plato appellat, quòd hac animus intendatur & mansuetudine remittatur. Qui dolore & ira perciti bellum ineunt, pugnaces illi quidem, non fortes dicuntur, non enim honestate & ratione, sed perturbatione animi concitati, rem agendam suscipiunt. Pulchrè Epicurus, immodicam iram dicit generare insaniam: quæ fugienda est, non moderationis sed sanitatis causa.

Ira.

Ira senatori fugiẽda.

Sunt quidam qui fortunæ tantũ tribuant, ut hac sola armati, triũphos & uictorias ante certamen occinere soleant, eaq; freti nihil non aggredi dubitẽt, quorum magnus redarguendus est error. Etsi magna uis fortunę maximè verò in bello sit (in his.n. rebus imperium arrogat illa sibi, in quibus rationem parum valere cernit) non ita tamen seruiendum est fortunę, ut consiliũ omne propter illam abijciendum putemus: bono imperatori, vt quidam dixit, haud magni fortunam momẽti esse, mentem rationemq; dominari. Annibal pacem à Scipione petens his vtitur uerbis: Iam aduersæ res me (inquit)

Fortuna.

quę efficit, ut illud rationi obtemperet, & honestam homineque dignam uitam sequatur. Videntur nobiscum natę, ac ab incunabulis enutritę uoluptates esse, proptereaque difficilis earum est intermissio, his maximè, qui maiorem corporis, quàm animi exercendi curam suscipiunt: quibus nihil esse solet inter homines turpius, nihil fœdius, nihil flagiciosius. Quare efficiendum est, ut corpus semper animi sit alligatum officijs, ab eisque nunquam separetur & remoueatur, talis enim coniunctio reddit hominem perfectum. Magna vis est ad vitam benè beateque traducendam temperantiæ, quæ nos in officio rectæ & honestæ vitæ firmos retinet, ac in contemnendis uoluptatibus, in moderandis omnibus tam dictis, quàm factis, strenuos, constantesque efficit. Omnes quidem uirtutes Rempub. beatam, felicem, tranquillam efficiunt; sed eius felicitatis temperantia custos est & conseruatrix, quæ cauet, ne luxui & uoluptatibus Resp. succumbat, à quibus ciuitates etiam magnæ plerunque euertuntur. Vnde Respub. quæ bonis tam legibus, quàm moribus instructa est & informata, cauere debet, ne luxus ciues inficiat, ex hoc enim auaricia nascitur uitiorum omnium mater. Apud Romanos legimus sumptuarias, uestiariasque leges fuisse excogitatas, quibus præscribebatur ciuibus modus rectè & honestè uiuendi. Lacedæmonij itidem publicè epulabantur, ne scilicet in conspectu ciuium aliquis unquàm auderet esse profusus. Belgæ quoque res non admittebant, quibus effœminati redderentur incolæ. Hoc etiam nunc in plerisque ciuitatibus Italiæ obseruari uidemus, in quibus sumptus immoderatos faciendi, legibus adimitur licentia. Inexplebilis res est cupiditas in hominibus, quæ nisi legibus tanquam frenis cohibetur, omnes ciuium animos ad res malas appetendas, atque demum ad Reipub. euersionem concitat. Testis est Romæ grex ille Catilinarius, qui cùm ex flagiciosis libidinibus, ac luxu perditis ciuibus esset conflatus, Reipub. bellum inferre tentauit. Quarè in Repub. ad temperantiam uita omnis ciuium est informanda, cauendumque ne luxu & uoluptatibus difluat: hac ratione & Reipub. tranquillitas, & ciuium felicitas, salus, ualetudo, facultates conseruabuntur; paratique ciues erunt semper,

Tēperantia ciuilis felicitatis custos.

Leges sũptuariæ & uestiariæ.

Lacedęmonioiũ temperantia.

Belgæ.

Catilinaria factio.

Ad temperantiã vita ciuium est reducẽ da legibus

semper, pro patria ubi opus sit bella suscipere, & in illis suscipiendis, nec inopia, nec uoluptatibus deterrebuntur, quæ duo plerunque ciuitates in seruitutem compellunt. Interest Reipub. curare, ne tam priuatim, quàm publicè ciuium sit intemperans uita, ne quis etiam re sua & facultatibus malè utatur. Est enim communis felicitatis ornamentum, priuatorum temperans et moderata uita. Legibus igitur comprimenda est hæc uiuendi insolentia, ex qua omnium malorum scaturiunt fontes, curandumque Senatori, ut tantum ipse absit ab intemperantia, quantum cupiet cæteres abesse. In qua quidem conseruanda seueritatem imitabitur Censoriam, quæ olim apud Romanos magistra erat temperantiæ & modestiæ ciuilis, Omnes igitur tam priuatim monendo, quàm publicè corrigendo ab intemperantia dehortabitur, cuius pœnam in Repub. decet esse grauem.

Senator tēperans sit.

Censores morū magistri.

Temperantiæ beneficio efficimur modesti, uerecundi, honesti, continentes; quibus uirtutibus ornatur, augetur, cumulatur hominum uita beata. Modestia uirtus est, uti Stoici dicunt, quæ scientiam habet earum rerum quæ aguntur & dicuntur, loco suo collocandarum. Decet enim in rebus omnibus, quas dicturi, facturiue sumus, seruare nos modum, ne plus se effundat quàm necesse sit, nostra omnis actio & oratio, Solonisque illud obseruandum in agendo, ne quid nimis. Qua in re tempori quandoque seruiendum est, & quærenda omnis occasio rerum agendarum; occasionibus enim non rectè utentes, malorum sæpe sibi sunt causa. Obseruandum est igitur, in omni actione & oratione decorum, uultus, oculi, gestus, motus, corpus denique totum ad modestiam componendum, ut per eam honestam, claram, stabilem nobis autoritatem comparasse uideamur.

Temperātiæ comites.

Modestia.

In modestia quę cōsideranda.

Commendat plerunque etiam nos uerecundia, custos honestæ uitæ: dedecus in agendo fugiens, & turpitudinem. Quemadmodum iustitia imperat ne quenquam uiolemus, sic uerecundia ne offendamus: uir enim bonus ab inferenda iniuria, non uoluntate modò, sed etiam verecundia deterretur. Non requiro autem in senatore verecundiam quæ adolescentibus peculiaris esse solet, aut viris malis,

Verecundia.

qui

qui inuiti sæpe verecundi esse consueuerunt. Talis enim perturbatio mentis, virum grauem & temperantem dedecet. Hæc verecundia virtutem imitatur, per quam inest in homine, habitus quidam & exercitatio confirmata, fugiendi mala. Quæ si quando per ignorantiam committimus, pudore afficimur, qui quidem laudabilis est. Iulius Cæsar ad Cordubam cũ iuniore Pompeio pugnãs, militesq; fugam parare animaduertens, ipse in agmine primus stetit, & hostium ita fortiter ictus sustinuit, vt milites cæteri videntes, se continere non potuerint, quin ad pugnam, partim fortitudine Ducis, partim verecundia inuitati reuerterentur. Verecundia quæ vitiosa. Iulius Cæsar.

Est in hominum ingeniis vis quædam honestatis insita, qua compelluntur ea facere, quæ laudabilia sunt, & fugere quæ turpia. Porro tota ratio honesti inuestigandi, à virtute proficiscitur, in qua splendor omnis & dignitas eius est reposita, eaque à communi & populari fama, gloria, opinione quandoque procedit. Hoc vbi nos diligenti & acri mente cognouerimus, & qui sit modus, qui in rebus omnibus ordo, quæ dignitas animaduerterimus, eamque pulchritudinem, concinitatem, & ordinem in dictis & factis obseruauerimus: tum præterea cauerimus, ne quid indecorè, effœminatè, libidinosè faciamus cogitemusue, tum hoc pacto modesti, honestique fuerimus. Honestatis tanta vis est, vt ea sola possit homines ab omni turpitudine vitæ, rebusque malis auertere. Honestas. Honestũ quid. Honestatis uis.

Inter laudes Senatorias, quæ in moribus spectantur, non postremum sibi locum vendicant, continentia & abstinentia. Hæc non solum voluptatum illecebras, verùm etiam cæteras cupiditates contemnere, ac ab alienis rebus mentem, oculos, manus abstinere præcipiunt. Pulcherrimum in vita spectaculum est, re sua contentum esse, & aliena non appetere. Laudatur propter id Paulus Aemilius, quòd ex thesauris è Macedonia Hispaniaque aduectis, nihil prorsus ad suos vsus conuertisset, sed omnes in publicum ærarium retulisset, & maluit abstinens & pauper, quàm diues depeculator vocari; ex eius facultatibus post mortem sub hasta uenditis, uix redactum est vnde dos vxori solueretur. Admirabilis continentiæ exemplũ Scipio Africanus exhibuit, Cõtinentia & abstinentia. Paulus Aemilius. Scipionis continentia.

qui

qui vicesimum annum agens, Carthagine noua deleta, cùm eximiæ inter multas formæ virginem captiuam haberet, illius virginitati non solùm pepercit, verùm etiam sponso, cui desponsata erat, eam tradidit, adiuncto dotis nomine auro, quod pro ea redimenda obtulerāt amici. Prætereo Alexandrum magnum & multos alios, qui ex continentia gloriam non minus, quàm ex bellicis triumphis, quærebant. Quarè nostrum quoque Senatorem cōtinentem esse volumus, illudq; imitari dictum Periclis: qui cùm Sophoclem collegam in Prętura haberet, isque publico officio præsidens, egregiam formā cuiusdam forte visam laudasset, eius incontinentiam notantem Periclem, dixisse aiunt: non solùm manus à turpi lucro prætorem, sed etiam oculos ab aspectu inuerecundo, decet habere continentes. Sapienter igitur fecisse Cato putandus est, qui Censor L. Quinctium Flaminium, propter nimiam libidinem Senatu eiecit; hic enim cùm esset consul in Gallia, exoratus est in conuiuio à scorto, vt securi percuteret aliquem ex his, qui in carcere pœna capitali damnati detinerentur: Manilius etiam senatu motus fuit, quòd is præsente filia vxorem esset osculatus. Salustius ob adulteria perditosque mores, senatoria est spoliatus dignitate. Nihil est quod dignitatem magis senatoriam deturpet, quàm flagitiosa & perdita libido, quæ simul cum probro priuato dedecorat imperandi maiestatem. Sardanapalus totos in Gynęceo dies consumebat, nullumque vnquàm tempus libidinis exercendæ intermittebat. Hic uiuus adhuc in sepulcro suo tale Epitaphium inscribi iussit.

Alexāder magnus.

Senator cō tinens sit.

Dictū Periclis.

Flaminius propter libidinē Senatu motus.

Manilius.

Salustius.

Incontinētiæ uitiū tūrpissimum.

Sardanapalus.

E de bibe lude, &c.

Cùm te mortalem noris, præsentibus exple
Delicijs animum, post mortem nulla uoluptas,
Namq; ego sum puluis, qui nuper tanta tenebam,
Hoc habeo quæ edi, quæque exaturata libido
Hausit, at illa manent multa & præclara relicta,
Hoc sapiens uitæ mortalibus est documentum.

In hoc cùm aliquando Aristoteles incidisset, substitit, primaque parte Epitaphij lecta, subrisit dicens. Ecquid aliud in bouis non in regis sepulchro legisses? posterioribus verò, tribus lectis uersibus, addidit. Hic ea se mortuum habuisse

se dicit, quæ ne viuus quidem habuit, nisi quam diu vorabat. Omnes quidem voluptates, si non ad necessitatem honestatemque reducantur, vitiosæ sunt: sed ex omnibus duę, in quibus magis quàm in cæteris peccant, & ad turpitudinem vitiaque prolabuntur homines; voluptas quæ tactu, & quæ gustu percipitur. In tactu Cupidines, Veneres, balneorũ immoderatus vsus: in uestitu sumptus & omnes effręnatę libidines continẽtur: in gustu uentris & gulæ intemperantia, ex his omnium uitiorum scelerumque scaturiunt fontes. Curandum est igitur Senatori, ne ciuium uita in hoc fœdo uoluptatum & libidinum cœno volutetur, vtque sint omnia pudore & verecundia septa. Extirpandæ sunt omnes inhonestę ac illicitæ voluptates, exterminandæ etiam occasiones & ansæ peccandi, quæ ciuibus præbent oportunitatem inhonestè, inuerecundè, sceleratè, intemperanter viuendi. Lacedæmonij seruos temulentos pueris obijciebant, vt illorum gestibus ac turpitudine deterriti, mentes ab ebrietate alienas haberent. Atque vtinam secula antiqua, imitari potius, quàm commemorare malimus. Magna victus maioribus nostris moderatio, summa viuendi temperatio fuit: non illi viuebant vt ederent, sed edebant vt viuerent. His temporibus adeò pestis hæc intemperantiæ inualuit, vt plures libidinis & gulæ, quam ulla uis belli soleat absorbere. Inueniri gentes, quę viuere non aliud quàm bibere putent. Quis non vehementer laudandum putabit Man: Curium Senatorem Romanum, quem Samnitum legati assidentem foco, ac in uase ligneo cęnantem repererunt, aurumque illorum respuentem dixisse: malo locupletibus imperare, quàm locuples esse? Taceo Fabricios, Tuberones, Fabios, Catones, Scipiones, quorum vitam temperantem & sobriam fama immortalis consecrauit. Hortensius vehementer reprehensus est, quòd primus in cœna augurali pauonem coctum hospitibus appo suisset: Cassius quòd in publico aquam bibisset, & aliquantisper sitim pati non potuisset, intemperans erat iudicatus. Duronius etiam Senatu motus, quòd Tribunus legem de coercendis conuiuiorum sumptibus abrogauerat. Felix profectò Romanorum his Senatoribus fuit Respub. in qua illi non consilij modò principes, sed morum & virtutis magi-

Qui uoluptates cæteris perniciosiores.

Officiũ Senatoris in contemnẽdis uoluptatibus.

Lacedęmonii.

Man: Curius.

Hortensii luxus.

Cassij intẽperantia.

Duronius

ſtri extiterunt. Qualis .n. Romæ tum populus fuerit, quàm temperans & abſtinens, ex eo quiſque conijcere poteſt. Cùm Pyrrhi Regis Epirotarum dona per vrbem circumferrentur, quibus ille bello iam infractus & debilitatus, populi beneuolentiam captare conſtituerat, nemo dicitur inuentus eſſe, qui manum ad eas capiendas porrexiſſe uideretur: ſic ille non magis armis Romæ, quàm moribus uictus fugatusque eſt. At poſteaquàm luxus poſt Aſiaticam uictoriam Romam inuaſit, & ex copia, otioque laſciuire populi animi cœperunt, mox illa ciuilis diſciplina temperantiæ, parſimoniæ, ſobrietatis extincta eſt; urbem occupauit auaritia, cum qua ſimul omnium ſcelerum flagitiorumque peſtes irruerunt, nullaque alia quàm hæc, ſoluti Romani imperij cauſa uerior, uti Saluſtius ſcribit, extitit. Danda eſt igitur Senatori opera, ut quàm minimè luxus in Repub. dominetur; hic enim publicam pacem, felicitatem, tranquillitatem peruertit, & ciues molles, effœminatos, miſeros, inopes reddit. Diogenes cùm luxurioſi domum cuiuſdam uenalem proſcriptam legeret, ſciebam inquit hanc uino ciboque plenam dominum euomituram. Ipſi etiam nihil magis fugiendum eſt; quàm immodica uentris expletio, hæc enim non ingenij modo & conſilij, ſed ualetudinis etiam uires conſumit. Præclara ſolonis illa lex, quæ principem ebrium morte mulctat. Philipus Macedoniæ Rex ebrius aliquando, mulierem indicta cauſa damnauit, illa autem prouocante, cùm ad quem prouocaret interrogaretur, ad Philippum ſobrium reſpondi. Vinum profectò iudicium omne peruertit hominis, adeò ut ex rege ſeruum faciat, ex ſene puerum, ex ſano inſanum, ex infante diſertum, è ſapiente ſtultum, è ſtulto fatuum. Modus igitur ſenatori tenendus eſt in hoc, atque bibendum ſemper ad neceſſitatem, non ad ebrietatem. Anacharſis imitandum illud, qui primum poculum neceſſitatis eſſe dixit, ſecundum ebrietatis, tertium inſaniæ. Turpe eſt ſenatorem uultum habere plenum furoris, oculos iracundiæ, ſermonem arrogantiæ, quæ omnia ebrietati per quàm ſunt familiaria; quem etiam minus decet cibo uinoque grauatum in longam noctem ſomnum producere. Quàm autem & ad ualetudinem conſeruandam, & ad res præclarè agendas

[Margin notes: Diogenis dictum. — Solonis lex cōtra ebrios. — Philippus — Ebrietatis uitia. — Anacharſis dictum — Senator ſit ſobrius.]

gendas uictus moderati ratio conferat, experientia discimus. Non animo tantùm, sed corpore etiam obsequentiore utimur, illaque uentris expletio nihil aliud est, quàm uiuæ sepultura mentis. Non priuatim igitur solùm, sed & publicè senatorem parsimoniam & frugalitatem seruare decet. Cauendum est autem, ne nimis parcus, tenax, & astrictus uideatur; sordidi animi est & abiecti, dignitate decoreque abuti in uiuendo. Fugienda est priuata luxuria, publica magnificentia retinenda, profusæ epulæ uitandæ, sordes & in hospitalitas multo magis, immoderati sumptus nocent, necessarij honestique iuuant. Quarè obseruanda est ratio loci, temporis, personarum, ponderandaque officia tam priuatæ, quã publicæ honestatis, dignitatis, utilitatis, nõ abijciẽda uicissitudo laborum & uoluptatum honestarum. Q. Tubero quòd in epulo publico hædinis pelliculis lectos strauisset, dignitatis & honestatis publicæ stultus æstimator habitus, pretura deiectus est. Sed de temperantia hactenus; uocat enim nos & tempus, & ordo rei postulat, ut ad bona corporis fortunæque accedamus, quibus Senatoris felicitas non ornatur modò, uerùm etiam perficitur.

Modus in uiuendo qui.

Q. Tubero.

Quandoquidem corpus hoc uitæ sedes animique nostri est quasi tabernaculum, oportet ut tam animi, quàm corporis perfectione uitam hanc nostram, atque adeo nos ipsos exornemus. Neque enim uirtutum actiones benè exercentur imbecillo corpore, neque corpus animo impotente suũ rectè facit officium. Conglutinata sunt hæc inuicem adeò & compacta, ut quemadmodum dominus sine seruo imperare, sic mens sine corporis uelut obsequio, suum nequit munus exercere. Coniungunt propterea Politici corporis & animi exercitationes, quasi homines inculta mente simul & corpore, nequeant satis ciuili societati prodesse. Sicut animi perfectionem, ciuilis disciplina legesque efficiunt, iudicia conseruant; ita corporis absolutionem natura primum efficit, gymnastica perficit, medicina uerò conseruat. Ex quo in Repub. benè constituta, matrimonia certis legibus & ætatibus circumscribi debent, educatio puerorum institui, ciuilis disciplina informari, ut tam natura quàm arte, ciues animos & corpora habeant perfectissima. Quoniam autem

Animi & corporis perfectio quo comparatur.

de animi expletione eiusque bonis cæteris diximus: sequitur dicendum de bonis corporis, quæ debeat habere Senator. Est enim uehementer illi tam corporis, quàm animi necessaria perfectio. Verum illud est, & Academiæ approbatione confirmatum, hominis felicitatem solis animi bonis se tueri non posse, sed commodis externis ad suam perfectionem indigere. Quamuis enim per se laudabilia non sunt, tamen quòd ipsa uirtus in earum usu & moderatione cernitur, omnino optanda uidentur esse. Bona igitur corporis partim in toto corpore, partim in aliqua eius parte consistere putantur: ualetudo, forma, uires, integritas corporis, in toto: in parte uero, sensus incorrupti, & membri alicuius præstantia: ut pernicitas pedum, uis manuum. Quemadmodum corporis & animi consensus est & societas, quam Græci συμπάθειαν uocant: ita uirtutum animi & corporis est quædam conuenientia. Iustitiam ualetudo imitatur, quòd hæc diuersam constitutionem corporis ad æquam temperationem reducit, temperantiam forma: utræque enim ad pulchritudinem corporis & animi efficiendam inuicem conspirant. fortitudinem uires, quòd in ferendis laboribus & periculis se mutuò iuuant. prudentiam integritas corporis; sicut enim in prudentia omnes opiniones iudiciaque concordant, ita in integro corpore, congruunt inter se omnia membra, ex quibus constamus.

Bona corporis.

Comparatio bonorum animi & corporis.

Valetudo.

Quantum ad uitam benè beateque ducendam ualetudo sit necessaria, docet nos experientia. Nihil enim siue quid agamus, siue cogitemus est, quod non ipsa impediat aduersa, uel expediat prospera. Senatorem igitur bona ualetudine uolumus esse præditum, sic enim & Reipub. negocia melius administrabit, & muneribus fungetur corporis, & uita utetur pacata, tranquilla, nullisque doloribus & molestiis impedita. Bonæ ualetudinis causa prima Deus est ipse, qui eam singulis infundit à natura corporibus, secunda uerò cura & exercitatio. Cauendum est autem, ne ualetudinem negligentiæ, uel intemperantiæ malis amittat. Valetudo, uti Cicero prudenter instituit, sustentatur notitia sui corporis & obseruatione earum rerum, quæ res aut prodesse solent, aut obesse, & continentia in uictu, omnique cultu corporis tuendi

Senator sanus sit.

Valetudinis cura.

tuendi causa, & prætermittendis uoluptatibus. Cætera, quæ ad eam rem pertinent, à Galeno & Hippocrate petenda sunt. Irridebat autem eos Diogenes, qui ualetudinis impetrandæ vel potiundæ causa Diis sacrificabant, immoderatè viuentes; stultorum esse dicens, à Diis ea postulare, quæ ipsi quando uelint habere posint, temperatè uiuendo.

Laudem etiam in Senatore meretur, corporis bona temperatio. Sit igitur, uti Medici uocant, sanguineus uel colericus: hi namq; humores aptos homines reddunt, ad omnia genera uirtutum amplectenda, talesque solent esse ingeniosi, dociles, sani, memores. melancholicos Aristoteles ingeniosos appellat, cùm enim furere incipiunt, quiddam præsagiens atque diuinum in animis habere consueuerunt. Hos nihilominus Senatu prohibemus, inepti enim ad res gerendas sunt, quòd eorum uitam bilis atra regere soleat, non sapientia. Humorem habent frigidum & siccum, proptereáque cogitationes eorum sunt solitariæ, ad inuidiam, maleuolentiam, tristiciam, mœroremque propensæ. Cicero cùm aliquando Aristotelem melancholicos ingeniosos esse scribentem legeret, subridens dixit, se æquo animo ferre, quòd tardus & non melancholica natura præditus esset. C. Cæsarem cum homine præpingui hilarique liberè loquentem, admonuit quidam ne id faceret, cui Cæsar respondisse dicitur, non tales uiros esse cauendos, sed tristes & macie torridos, nutuque Brutum & Cassium ostendit. Pituitosum etiam ne in pedarium quidem Senatorem recipimus, ne pituita cuiquam molestus sit, tardos enim hic habet, ut corporis, sic animi motus.

Corporis temperatio quæ bona.

Melãcholici.

Pituitosi.

Non corpus modò, sed animum etiam ipsum, commendat formæ dignitas, adeò vt uerè Poeta dixisse uideatur.

Gratior est pulchro ueniens in corpore uirtus.

Formosum igitur Senatorem nostrum esse uolumus. Formam autem appello uirilem, homineq; non fœmina dignam speciem: huius uis omnis in statura corporis uultuque ipso cognoscitur. Vasto itaq; corpore non sit, nec pusillo, sed mediocri. In procero corpore paruam uirtutem esse dicit Aristoteles, in exiguo autem angustam. Corpus etiam non sit abdomine grauatum, quemadmodum nec siccum & extenuatum

Formosus senator.

Forma in quo consistit.

tenuatum

tenuatum illud ad labores ſubeundos ineptum eſt, hoc ad tolerandos imbecillum. Quos natura defectione membri alicuius inſigniuit, ut aut vno pede claudicent, aut diſtortos obliquosque oculos habeant, aut ita parui ſint, ut nanis & pumilionibus ſimiles uideantur, hos plerunque cauere ſolemus, ne quo fuco nos decipiant, monſtris enim ſimiles habentur. Quos ſi boni non ſunt, nec uitium naturæ uirtutis exercitatione depellunt, Senatores creari nolumus.

Philopœmen. Vultus etiam figura, coloris bonitate commendatur, qui eſt animi noſtri ianua, Quales enim ſimus intus, ex cute plerunque iudicamur, Philopœmen Achæorum dux ligna ſecuit propter uultus deformitatem, cognitusque in opere reſpondit, ſe pœnas deformitatis ſuæ dare. Faciem igitur Senatoris grauem & iucundam laudamus, oculos aſpectu ſuaues, non truces. Neque formæ tribuendum eſt tantùm, ut ex ea ſola cognoſci debeat habitus omnis animi. Multi inueniuntur corpore non adeò formoſo, animo uerò formoſiſſimo, iuſto ſcilicet, prudenti, & temperanti. Non deformitate corporis fædatur animus, ſed pulchritudine animi corpus ornatur. Virtus non eſt alligata uel formoſo, uel deformi corpori, magnum ipſa per ſe decus habet, corpusque omne pulchritudine ſua condecorat. In cognoſcendis hominibus ut non ſolùm adhibemus oculos, uerùm etiam iudicium; ita in Senatore non forma, uultus, oculi tantùm, ſed etiam facies tota animi ſpectanda eſt, eaque ſemper præferenda omni corporis formæ & pulchritudini. Optari enim iſta in hominum perfectione, non requiri ſolent.

Quę uera pulchritudo.

Ornatus ſenatoris: Tenendus etiam eſt in tuenda forma, Senatore dignus ornatus: conciliat enim autoritatem, & tam animi quàm corporis auget dignitatem & ornat. Neceſſe eſt igitur, ut ueſtitu à cæteris ciuibus differente utatur: quod etiam in omnibus benè conſtitutis Rebuſpub. ſenatores obſeruant. Romanorum Senatorum Latus clauus ornamentum erat; calcei quoque lunati, hoc eſt ſignum lunæ habentes, qui ſummæ eorum dignitatis & nobilitatis erant indices. Hoc genus ornamenti, ab aliis gentibus accepiſſe Romanos, ex eo apparet: quòd Eſaias Hæbreorum uates, nobilibus Iudæorum fœminis prædixerat, Deum eis calceorum ornamenta, &

Latus clauus.

Calcei lunati.

lunulas

lunulas adempturum esse. Quattuor autem causas Plutarchus adscribit, cur huiusmodi calceis Romani uterentur, quas quia cognitu iucundæ sunt referre uolui. Prima quòd iudicarent magnis uiris ex hac uita decedentibus, recta eundum esse in cœlum, domiciliumque cis lunam habendum. Altera ut se eo signo antiquissimos declararent, & ab Arcadibus oriundos, qui in Italia duce Euandro consederant, hi uerò uetustiores luna se esse fingebant. Tertia, ut successi fortunæ elati, rerum humanarum inconstantiam & uolubilitatem agnoscerent: sicut enim luna partim obscura est, partim lucida, ita nullus in homine splendor dignitatis tam diuturnus esse potest, quin is aliquando obscuretur & extinguatur. Quarto, vt lunæ signo ad modestiam & obedientiam excitarentur, & tam parendi, quàm cæteris imperandi sapientiam, à Diis peterent, sic enim & luna, à nobiliori lumine, sole scilicet, splendorem accipit. Quidam non lunæ signum in calceis eos portasse fabulantur, sed literam.C. quasi ab ea centum illi, qui à Romulo electi erant, dicerentur. Est ea consuetudo in optimis Rebuspub. ut status & conditio hominum, non lege modò & iure, sed etiam vestimentis discerni soleat, vt hac ratione constantia ciuium, in optimo genere vitæ deligendo & retinendo perspiciatur: quæ res sanè maximi est ad tranquillitatem eorum efficiendam momenti. Vnde purpura apud Romanos non nisi Senatores, magistratus, sacerdotes, & pueri nobiles utebantur: omitto ius annulorum, torques, monilia, quorum usus de Repub. benè meritis ciuibus, & in aliqua dignitate constitutis concedebatur. Quomodò verò temporibus nostris obseruentur hæc, satis apparet: magnam certè uicissitudinem non dico uirtutum morumq; sed temporum esse uidemus. Nullum discrimen militum, magistratuum, Senatorum à seruis, mercatoribus, opificibus, agricolis. Nullius uirtus & conditio certis est alligata & constricta ornamentis, quibus & dignitatem suam tueatur, & excitetur ad munus suum diligentius obeundum. Sceptrum enim, corona, torques, annulus, toga, uestis, sella, non dignitates sunt, sed dignitatum insignia, quibus excitantur homines, ad officii, amplitudinis, loci, honorisque sui decus illustrandum & ornandum

Hominũ in Repu. conditio uestitu discernẽda.

Torques.

dum

dum. Romulus, uti Liuius scribit, dum nouis populis iura dare cœpisset, quo uenerabilis appareret, & habitu augustiore & lictoribus duodecim se insigniuit. Quare senatori quoq; veste utendum est ad grauitatem, honestatem, dignitatemue accommodata: cauendumq; ne in eo ex uarietate uestium, leuitatis inconstantiæque significatio appareat. Obseruanda est munditia, uiro magis quàm fœminæ conueniens, non exquisita, sed elegans, quæ tantùm rusticitatis suspicione careat. Retinendum etiam est in omni motu, gestu, statu, incessu, sessione, accubatione decorum, grauitatem senatoriam repræsentans.

Vestis senatoria.

Prodest quoque uires habere corporis ualidas, neruos, lacertos, roburq; uirile. Hæc, quoniam à natura corpori infunduntur, propterea nos magis in eis exercendis & conseruandis decet esse cautos, quàm in acquirendis diligentes. Vires in integro corpore, sano, uegeto, firmæ solent esse: tales uerò potissimum ætate, uel crescunt, uel decrescunt. Nam iuuenes fortes, uiri robusti, senes infracti, ac infirmi esse solemus. Quoniam autem uires senatorem maiores animi, quàm corporis decent, propterea non athletarum, sed naturæ conuenientes uires in eo requirimus. Milo senex iam cùm athletas in curriculo certantes uidisset, lacertos intuitus suos, & mortuos uocans illa chrimasse dicitur: nulla hic alia (ut opinor) uirtute, quàm lacertis nobilitatis erat.

Vires corporis.

Vires senatoriæ.

Quæ uerò ætas integritati uiribusq; tam corporis, quàm animi conueniat, aut qua debeat ætate Senator esse, dicendum est. Qui uitæ humanæ spacia descripserunt, certis quibusdam terminis ætatum ea definierunt. Plato octogesimo primo, Solon octogesimo, cæteri septuagesimo anno, uitam hominis terminari dixerunt. Hanc autem septenario alligarunt numero, quòd eo mutatio corporis fiat: ex quo, primo septenario dentium in pueris casus, secundo pubertas, Tertio corporis longitudo, Quarto augmentum, Quinto uires, Sexto cupiditates, Septimo sapientia, Octauo senectus, Nono uigor, Decimo uita circumscribitur. Sunt qui nouenario numero mutationem uitæ fieri dicant: aliqui omni numero impari, ad uigesimum unum. Pythagoras octogesimum annum fatalem esse dixit & in quattuor uicenarios

Aetas senatoria.

Aetas hominis.

narios ætatem descripsit hominis, ita ut puericia uicesimo, adolescentia item alio, iuuentus & senectus quoq; alio terminentur. Hæc autem comparauit quattuor partibus anni, pueris uer, adolescentibus æstatem, iuuenibus autumnum senibus hiemem concedens. Varro gradus ætatis humanæ quinque facit, omnesque quindecim annorum spatiis concludit: pueritiam quidem, quòd ad quindecimum annum pueri puri & impuberes esse soleant: adolescentiam, quòd longitudo & latitudo corporis ad trigesimum usque adolescat annum: iuuentutem, quòd ad quadragesimum quintum vires in corpore firmæ sint, hocque tempore pro Repub. cives arma portare possint, omniaque Reipub. negocia strenuè obire: senectutem ad sexagesimum annum, quòd in eo corpus senescere incipiat, & in sua maturitate reliquum ætatis & uitæ tempus absoluat. Huic sententiæ adhærendum potius putamus: illa enim per numeros ætatum distinctio, magis ad medicos pertinet, qui iudiciarios dies, in nutriendis corporibus, curandisque morbis obseruant, quos Græci γέροντες, Latini iudiciarios uocant. Nos quadragesimum quintum ætatis annum, Senatorium esse uolumus, in eo enim homines, & corporis, & animi uiribus plurimum ualent. Accedit eo quòd is medium ætatis nostræ tempus interse cat, uideturque tanquam ad maturitatem corporis & animi nos perducere. Hac ætate non cupiditatibus distrahitur animus, non iuuenili ducitur impetu, non affectionibus obtemperat, sed iudicio, consilio, ac rerum experientia pollet. Apud Romanos florente Repub. is quoque fuit Senatorum annus: existimabant illi ætatem hanc aptam esse consiliis, quòd in illa deferbuisset omnis impetus iuuenilis, & animus ad perfectionem suam peruenisset. Quemadmodum enim corporis, sic animi perfectio cum ætate crescit. Nec eo inficias, trigesimo anno multos senes fieri, hoc est, prudentes & sapientes: tales enim ut diutius senes essent, cito senescere & prudentes fieri cœperunt. Hac ætate multos in Senatum eligi Romæ solitos legimus, quod & nos concedimus: senem enim non tam ætas, quàm uirtus efficit, ab antiquis enim χρηστοὺς & senes & boni uiri appellabantur. Curandum est autem, ut à senibus Respub. semper administre-

Critici vel iudiciarii dies.

Aetas senatoria.

A senibus gubernanda Respu.

tur. Beatam diuturnamque fore Rempub. Plutarchus ait, in qua iuuenum hastæ, senum verò consilia pollent. Pulchrum illud Euripidis apud Stobæum:

Dictum est uetustum, facta iuuenum, cæterum
Magis ualent consilia senum.

Athenis post quinquagesimum annum expletum ciues in consilia adhibebantur, Romæ quoque licebat sexagenariis si uellent, quamuis senatores non fuissent, in senatum uenire; post sexagesimum autem annum uacationem senatores habebant. In quo seruandæ sunt leges cuiusque Reipub. dandaque opera Senatori etiam Nestoream, quod dicitur, ætatem agenti, ne Reipub. ullo unquam loco & tempore desit. Patriæ deesse quoad uita suppeditat, aliis turpe, Senatori ne fas uideri debet. Discendum, ait, esse Plato altero in sepulchrum pede ingredienti, cur non etiam consulendum, Reique pub. seruiendum est? Nimium autem senes & decrepitos, si mente & corpore capti sint, senatu prohibemus. Eorum enim consilia solent esse dubia, opinantur magis quàm affirmant, peculiaréque uerbum gerunt semper in ore, forsan & fortasse. Et cum multa sunt experti, plura metuunt, ne iterum experiantur.

Decrepitorũ mores.

Quandoquidem humana felicitas sine bonis externis perfecta & absoluta esse nequit: necessaria sunt Senatori commoda externa, tam ad decus suum & dignitatem ornandam, quàm ad actiones uirtutum melius & commodius exercendas. Digladiantur inuicem ea de re philosophi: & alii quidem felicitatem hominis de possessione bonorum extrudunt, alii contrà ad eam reuocant. Vtrosq; si conditionem finemq; uitæ cuiusq; consideres, rectè sentire iudicabis. Nam qui priuatam felicitatem adamant, iis fortuna aut nulla, aut mediocri opus est: qui publicè uirtutes exercent, & in hominum societate uiuunt, Remquepub. gubernant, hi sine fortunæ commodis nihil unquàm magnum, nihil illustre, nihil liberale facere possunt. Sunt homini ciuili ad Rempu. rectè gubernandam, ad ciues iuuandos, ad uirtutis officia exercenda, ad iniurias tam priuatas, quàm publicas propulsandas necessariæ diuitiæ, opes, facultates: sine quibus misera & infelix est omnis Respub. sapientius igitur fecissent philosophi,

Bona fortunæ.

Philosophorũ disputationes de bonis externis.

Vtilitas diuitiarũ.

sophi,

ſophi,ſi de uſu diuitiarum, non de ipſis diuitiis diſputaſſent, eamque omnem contentionem perſonarum felicitatisque conditione diremiſſent. Non felicitas enim modò, ſed uita hominum ipſa, indiget rebus ad uitam tuendam neceſſariis: cuius cum ſit diuerſa conditio, tum quenque maximè decet genus uitæ, felicitatisque ſuæ cognoſcere, & eas opes posſidere, quas ad uitam honeſtè ducendam conuenientes iudicarit. Eam ob rem Diogenis felicitas, diuerſa erat ab Alexandri magni felicitate, pauper ille, diues hic erat: hunc orbis totus capere non potuit, illum una caſa ſeruauit: diſpar utriusque genus uitæ, diuerſa etiam felicitas: uterq; philoſophus, at alter priuatam, publicam alter felicitatem eſt amplexus: laudari hæc, non uituperari illa debet. Ad quam nos uel Deus, uel natura, vel voluntas, vel ſtudia uitam uocant: ea eſt ſequenda, ea item amplectenda & retinenda. itaq; exornanda, uti virtus, ratio, Deus, & ipſa natura à nobis repoſcit. Ex eo ſequitur, ut quidam pauperes eſſe malint quàm diuites, docti quàm locupletes, priuati quàm cum poteſtate, milites quàm ſacerdotes: ſuum cuique pulchrum in uita eſt, ut dicitur. Quoniam autem Senatoris uita omnis & felicitas, in conſpectu facieque Reipu. uerſatur: omnino ſunt illi neceſſaria bona hæc externa, quę fortunæ uocantur: ea uerò ſunt, genus, honor, gloria, fama, amici, propinqui, liberi, diuitiæ, pecunia. In Senatore genus ſpectari uolo, quòd ex bonis bonum naſci contingit. Sit igitur nobilis & generoſus, habeat gentilitatem, familiam, ſtemmata, patrem, auum, maiores ciuili & generoſa ſtirpe procreatos. Eſt enim talis quaſi obſidis loco Reipub. à maioribus ſuis relictus, ut pro eius ſalute & incolumitate, quando ſit opus, vitam fidelius effundat. Vnde apud Romanos lege cautum erat, ne quis Senator libertinam vxorem duceret, ne etiam ingenuam ex plebe, aut illam cuius parentes artem ludicram exercerent. Nec damno eos, qui generis nobilitatisq; inſignia a ſe ipſis ducunt, uirtuteq; propria fundamenta iaciunt nobilitati ſuæ. Virtus enim tam nouos, quàm antiquos homines, eadem conditione tractat, nullos defraudat, qui ex ea nobilitari cupiunt. Cato cùm illi ſimultates cum Scipione Africano eſſent, ioco dixiſſe fer-

Diogenis & Alexandri felicitas diuerſa.

Quomodo genus vitæ ſit eligendum.

Bona fortuna quæ.

In ſenatore genus ſpectandū

Nobilitas noua.

Cato.

tur aliquando: ita demum maximam Romam fore, si uiri magni & illustres, uirtutis primas partes inferioribus non concederent: contraque plebeii (qualis ipse fuit) uirtutis certamen cum his, qui gloria & genere essent clari susciperent.

Nobilitas noua quo modo laudanda.

Cæterum in nouitate generis originisq; considerandum est illud, per quos uirtutum gradus quis ad nobilitatem ascendit; non inferior enim nouus antiquo nobili est habendus, si non leui aut ementita uirtute, sed laboriosa, graui & honesta, principium suæ facit nobilitati. Qua in re uirtus militaris, & Senatoria, omni uirtuti ociosæ diuitiisq; præferenda est.

Honor & gloria.

Duo præcipuè magnis in Repub. uiris præmia uirtutum proponuntur, honor & gloria: quæ qui habent, non possunt non fortunati uocari. Honor autem consistit, partim in magistratibus gerendis, partim in iudicio studioque bonorum uirorum, alicuius excellentem uirtutem honorantium. Is autem uerus honor est, uti Tullius præclarè scribit, qui non propter spem futuri beneficii, sed propter magna merita, claris uiris defertur & datur. Ad honorem igitur consequendum, non pictis tantùm innitendum est imaginibus, non ex ære conflatis statuis, sed propriæ uirtuti, ex qua uera & perpetua nascuntur præmia. Cato repletam statuis Romam uidens, sibi nullam statui uoluit, malle dicens causam cur sibi nòn sit posita statua, quàm cur stet requiri. Debetur enim honor uirtuti perpetuus & æternus, nòn caducus & fragilis. Ex trecentis statuis Demetrio erectis, nullam antiquitas attriuit; nullam squalor consumpsit, omnes.n.adhuc eo uiuente inuersæ sunt.

Honor in quo consistit.

Statuæ.

Gloria.

Expeti etiã debet à Senatore gloria, tanquã amplissimum uirtutis præmium. Is autem gloria maximè excellit, qui uirtute cæteris præstat: ueram enim gloriam uirtus uelut vmbra sequitur. Theseus à Dijs tria hæc sibi dari postulauit, fortunam bonam, expertem dolorum animum, gloriam nec falsam, nec adulterinam, fucatamùe. Qui gloriam ex virtute rebusque gestis quærunt, hi nihil unquàm turpe & ignominiosum, vel in se vel in alios admittunt: famam enim nominisque sui dignitatem, virtute, iudicioque proborum metiuntur. Esse verò hominis benè nati, ac liberaliter educati, velle benè audire à ciuibus, & externis atque etiam ab amicis suis, famamque bonorum consensu dela-

tam,

tam, ad posteros usque transmittere. Quare cauendum est quidem omnibus, sed maxime Senatori, ne quam vnquam famæ, nominique suo notam imprimat, quæ raro, aut vix etiam posteritatis virtutibus eluitur. Loquitur ætas, nunquam fama tacet, residetque semper in linguis hominum libertas aliorum dicta & facta censendi & iudicandi. Bonæ famæ fructum non ipsi tantùm percipimus, sed etiam propinqui, amici, filij nostri, atque adeo omnis gentium posteritas, laudat nos, vitam admiratur nostram, virtutes extollit, tempora quibus viximus, Rempub. quam gubernauimus, leges quas condidimus, summis in cœlum effert laudibus. Viuis nobis hoc idem faciendum est, ne maiorum virtus, fides, religio in nobis immutetur & extinguatur: neue posteritas iudicet, nos à patrum nostrorum virtuibus desciuisse, institutaque eorum indignissimè proiecisse: decetque nos eas virtutes, eam viuendi disciplinam, eos mores, eam fidem & religionem, quam ab illis accepimus, posteris etiam nostris tradere. Fama igitur perpetuæ commendationis fundamentum est; quisque enim vitia declinat, ne bonæ existimationis subeat periculum: famæ namque ac fidei damna maiora sunt, quàm vt æstimari possint. Romæ cautum erat lege, ne quis corrupta fama in Senatorem eligeretur. Corrupta aũt putabatur turpi iudicio damnatorum qui aut propter ludum aleæ, aut falsitatem, aut furtum, au tutelam male administratam, aut linguam in lucrum prostitutam, aut religionem mutatam, aut ciuitatem amissam, aut propter aliquod aliud facinus enorme, quod famam contaminaret, condemnabantur. Athenis iudicium erat constitutum, quod illi δοκιμασίαν vocabant, in quo Senatorũ, qui cooptabantur, vita explorabatur. Solon enim lege uetuerat, ne probris aliquibus notati, & impudici in senatum legerentur. Tales etiam nos senatu prohibemus, non enim illos senatorum modò, sed ne hominum quidem nomine dignos iudicamus. QuarèSenatori ad uirtutem honestatemque tota est referenda uita: ex his enim uera gloria, fama, laus, splendorque & dignitas omnis nascitur.

Fama.

Famę & fidei dãna grauia.

Infames Senatores qui.

Probatio Senatorũ.

Ornant etiam Senatoriam dignitatem, amicorum, & propinquorum necessitudines, uitamque non beatam modò,

Amici.

sed

sed iucundam etiam reddunt. Summa uoluptas est, cum amicis res communicare suas, eorumque fide & beneuolentia frui, & tam in priuatis, quàm in publicis negotijs obeundis, horum auxilio opibusue adiuuari. Alexander interrogatus vbi thesauros asseruaret, apud amicos, respondit: beneuolentiam enim & sui æris & alieni dominam esse putauit.

Alexādri dictum.

Si quis etiam posteritatis fructum commemorare velit, filiorum scilicet multitudinem, & probitatem; magnum cumulum felicitatis per hanc Senatori fatebitur accessisse. Nullum est maius à Dijs hominibus datum beneficium, quàm soboles, propter quam huius vitæ vsura immortali & æterna perfruimur. Bercilidas Imperator Spartæ, cum sedere vellet, iuniorum illi nemo (vt moris erat) assurgere voluit exprobrantibus illi sterilitatem, quòd neminem relinqueret post se, qui itidem illis senioribus assurgeret. Romę qui prolis fœcunditate Rempub. ornabant, à censu liberi erant, ob hoc Proletarij dicti.

Filii.

Proletarii

Diuitię.

Accedo ad diuitias, quarum possesio vehementer est Senatori necessaria; tam enim ad vsus priuatos, quàm publicos pecunia opus est, sine qua nihil vnquam in ciuitate præclarum ille, nihil in uirtute magnum efficere potest. Parum tuta est sine uiribus maiestas, prudentiaque sine potentia stultitiæ seruit. Primus diuitiarum modus est, habere quantum opus sit, secundus quantum satis sit. Plato custodes ciuitatum nec nimis vult esse diuites, nec pauperes: quorum alterum ignauos illos, inertes, voluptatibus obnoxios, & res nouas appetentes reddit, alterum exiles, infirmos, & sordidos. Diuitiæ igitur senatoriæ sint honestæ, earumque parandarum ratio turpitudine uacet. Duplex traditur ab Aristotele ratio parandarū opum, quarum altera secundùm naturam dicitur, eaque honesta, altera contrà naturam turpis. Naturam imitatur agricultura, venatio, piscatus, aucupium, & alia, quæ non fiunt quæstuosa permutatione rerum. Agricultura profectò, vt Ciceronis verbis vtar, nihil melius est, nihil vberius nihil dulcius, nihil libero homine dignius. Cato interrogatus, qua ratione quis citò ditescere posset, si pasceret respōdit: rursus quomodo, si benè pasceret, qua quidem

Modus diuitiarum qui.

Duplex modus parādi opes.

Agricultura.

dem responsione diuitias ex agro pecoribusq; partas honestissimas esse putauit. Romani cum aliquem laudare volebant, bonum virum & bonum agricolam eum dicere solebant, vnde & Senatores apud eos in agris viuebant, ex hisque in vrbem à Viatoribus vocabantur. L. Quintius Cincinatus ad dictaturam ex agro vocatus est, & alii. Quod sanè voluptatis causa non necessitatis fecisse iudicandi sunt, cùm scilicet animum à Reipub. curis liberum aliquando reddere volebant. Contrà naturam est quæstus, mercatura, fœneratio: quod hæc lucrum inhonestum quęrunt, & in eo solo occupantur. Cato interrogatus quid fœnerari sibi videretur, quid hominem occidere? respondit. Cauendus est igitur Senatori quæstus omnis inhonestus, fugienda etiam quærendarum opum sordida & illiberalis diligentia: his enim rebus maiestas senatoria contaminatur. Vnde apud Romanos prohibitum erat, ne maiorem, quàm trecentarum amphorarum nauem Senator haberet; quæstus immodicus patribus visus est indignus. Fieri etiam non potest vt res illi cogitent honestas, curamque Reipub. diligentem habeant, qui sordidis & quæstuarijs se mancipant artibus, huiusmodi ciues olim senatu Romano mouebantur. Diuitiæ honestæ hæ putantur, pecuniæ, agri copia, possessiones locorum, suppellectilis, pecora, mancipia, & alia id genus, in quæ honestas & liberales operas impendimus. Erat consuetudo in multis Rebuspub. maximè uerò popularibus, ex censu Senatores creari, ob idque ciuium omnium census constituebatur. Solon in quattuor census populum diuisit. Primus erat quingentorum medimnorum; secundus trecentorum; tertius ducentorum; vltimus pauperum, opificum, & mercenariorum. Qui secundum censum habebant, equites; qui tertium zeugitæ dicebantur, quasi vno equo merentes: primus autem census senatorum erat, magistratuũ, & nobilium. Apud Lacedæmonios, nemo etiam ad Rempub. & magistratum admittebatur, qui non tributum ad publica conuiuia, quę Phidicia dicebantur, conferre potuisset. Portabant autem in conuiuia singulis mensibus, farinæ medimnum vnum, vini choas duas, casei quinque minas, ficuum seminimas quinque, & certam pecuniæ summam. Plato itidem

L. Quintius.

Fœneratio

In paradis diuitiis Senatori q fugienda.

Diuitiæ honestæ quæ.

Census.

Lacedæmoniorũ conuiuia.

Phidicia. dem Rempub. suam in quattuor census pro copia pecuniarum diuisit, ut essent ciues de primo, secundo, tertio, & quarto censu. Romana item Respub. censum habuit ciuium & Senatorum, pro Reipub. diuersitate uarium. Vtilis est in omni Repub census, hoc enim ordo Reipub. conseruatur, uectigalia tributaque fouentur, familiæ describuntur, mores ciuium formantur, luxus omnis è Repub. exterminatur, uigilantes ciues pro Repub. tuenda efficiuntur. Romæ censores erant præfecti morum ac ciuilis, honestæque disciplinæ custodes & magistri, quemadmodum apud Græcos Nomophylaces. Vt autem ex solo censu ciues in Senatores eligantur, mihi profectò, ut uerecundè dicam, non uidetur. Tradere enim gubernationem Reipub. ditioribus, perinde uidetur esse, ac si nauis non peritioribus in nauigando, sed locupletioribus gubernanda committatur; talem enim periclitari, naufragiumque pati necesse est. Plinius Romanos magistratus, eorumque uitia reprehendens, moresque ciuitatis redarguens, eorum corruptorum causam iniquitati census adiudicat: sic enim dicit, postquam Senator censu legi cæptus, iudex fieri censu, magistratum ducemque nihil magis exornare, quàm census, pessum iere uitæ precia. Parum certè prosunt diuitiæ sine uirtute, sed cum ea coniunctę accumulant uitam beatam. Quarè in Senatore non magis diuitiæ, quàm uirtus spectanda est. Si quis uerò diues & bonus, & ad Rempub. gubernandam aptus, dignitatem senatoriam fugiat, is censoria lege ad eius gubernacula compellendus est: turpe est eum Reipub. seruire nolle, quem illa genuit, cui uitam, honores, facultatesque tribuit, quem suis fouet alitque beneficiis. Qua in re cauendum est, ne diuites stulti, & ad rem nullam nati ad magistratum inuitentur; tales enim honor, ex stultis facit insanos. Iustum quidem est præferri diuitem in ciuitate, quòd is maiorem facultatem habeat, de Repub. benè merendi, maximè uerò si is iustus sit, prudens, & doctus. Cæterum ordinem omnem diuitum in Repub. preponere est iniustissimum: sunt enim ad iniurias pauperibus faciendas, ad seditiones, nouitatesque propensi.

Platonis census.

Cēsus utilitas.

Censores Romani.

Nomophylaces.

Diuitiæ.

In Senatore uirtus nō diuitię spectādæ.

Diues an Reip. præficiendus.

Quæ præmia, uerò Senatoris, qui laborum fructus, quæ summæ

summæ prudentiæ, dignitatisue merces esse debeat in Repub. dicendum est. Omnes ducimur & trahimur beneficij spe oblata, ad virtutes exercendas, ad Rempub. gubernandam, ad res magnas, præclaras, & honestas efficiendas. Neque res ulla aut tam exilis est, aut tam parua, quæ non quenque suis inuitet meritorum præmijs. Duabus rebus Solon Rempub. omnem conseruari dixit, præmio & pœna: quæ nisi in Repub. cuiusque uirtuti, & uitiis persoluuntur, infelix ea & misera putanda est. Decet igitur Senatorem suæ non modò uirtutis, sed dignitatis etiam, & autoritatis pręmia habere. Præmia in Repub. uti Cicero sentit, uel ad gratiam, uel ad opes, uel ad dignitatem referuntur. Hæc itaque primùm à ciuibus in Repub. suis, deinde à Dijs illi sunt expectanda. Ex omnibus præmijs uirtutis, quæ ciues Senatori persoluere debent, præstantissimum iudicandum est præmium gloriæ: uirtus enim nullam aliam requirit laborum suorum mercedem, præter hanc laudis & glorię. Omnis honestus in Senatore labor, honore, gloria, & splendore decoratur. Nulla voluptas humana, ut Xenophon dicit, propius ad Deorum naturam uidetur accedere, quàm honore gaudere. Tanta sunt Deorum erga nos merita, ut ea nec dicendo, nec cogitando exprimi possint: hæc autem nulla alia præmij mercedisque magnitudine compensantur & remunerantur, nisi hac laudis gloriæ & honoris. Tametsi uerò nulla tanta, tamque eximia gloriæ potest esse amplitudo, qua satis dignè à nobis Deus laudetur, tamen ipsi reddi debet ea gloria, quæ ab hominibus, iudicatur maxima & præstantissima. Deum igitur, ut in omnibus, ita in ea potissimum re Senator imitabitur, idque præmium uirtutis, dignitatis, laborumque suorum maximum esse putabit, quod in laude & gloria, nominisque sui ueneratione consistit. Quemadmodum gloriam omnis honestus in uirtute ponit, in acie miles querit, in uictoria statuit imperator: sic honor omnis gloriaque Senatoris, in seruandis ciuibus, in tuenda Repub. in rebus præclarè gestis perspicitur. Maximum etiam uirtutis suæ præmium existimabit, dignitatis Senatoriæ excellentiam; sicut enim loco ignominiæ est; apud

Pręmia Senatorum.

Pręmiorũ genera.

Gloria.

Gloria Senatoris in quo consistit.

X indi-

Senatoria dignitas. indignum dignitas, ita summi honoris & gloriæ, apud dignum. Magni namque homines magnis honoribus fiunt. Præclara sunt illa ac planè diuina gloriæ monimenta, à ciuibus laudari, coli, obseruari, ab his se denique patrem patriæ, parentem Reipub, seruatoremque dici & appellari. Huius honoris insignia non caduca sunt & fragilia, sed immortalia æternaque: semper enim residebunt in animis ciuium, in posteritatis memoria, in ore denique & auribus totius Reipub. uersabuntur. Laudis etiam huius & gloriæ possessionem uendicabunt sibi, partem filii, partem propinqui, partem amici, quibus honestum erit maiorum imitari res gestas, æquare uirtutes, superare gloriam: adeoque merentur hoc studio laudis & glorię, de Repub. boni.

Senatores, ut uideantur in ea facere quasi uirtutum seminaria, ex quorum familiis, quasi aliquibus uirtutum agris, metere possit Respub. fructum. Summo igitur honore & ueneratione à ciuibus sunt colendi Senatores, omnisque his semper deferendus est cultus & reuerentia, non propter ætatem solum, (hoc enim à natura cuique seni debetur) sed propter eorum autoritatem, dignitatem, prudentiam, summamque quam gerunt in Repub. regenda fidem, & diligentiam. Quare uindicanda est seueritate legum, omnis quæ contingeat in eos petulantia & improbitas. Romæ tanta erat magistratus in obseruantia, ut capitale haberetur aliquem iniuria afficere. Lex erat, Qui tribunis plebis ædilibus, iudicibus, decemuiris nocuisset, eius caput Ioui sacrum esset, familia ad ædem Cereris, liberi, liberæque uenum irent. Seruilius Isauricus consularis, cùm fortè pedibus isset, eique eunti quidam equo prætereuectus in angusto loco non desilysset, ubi eum in iudicio uadimonium habentem agnouisset, rem eam iudicibus detulit, qui summa indignatione commoti, indicta causa hominem condemnarunt, credebant enim eum qui parui faceret dignitatem, nec uenerarettur principes, in quodlibet enorme facinus esse propensum. Honorij lex de crimine maiestatis cauet, ne quis senatorem vlla unquam afficiat iniuria, eos teneri crimine maiestatis, qui non tantùm contrà principes, sed etiam contrà Senatores (quos partem corporis sui uocat)

Marginal notes: Senatores honorādi · Magistratus autoritas. · Seruilius Isauricus · Honorii lex de iniuriis Senatorum.

nocat) indignum aliquid admisissent, ex quo nemini licebat conuiciari, famamque eius suggillare, dictóue aut carmine contaminare. Erant autem ornamenta siue præmia Senatoria Romæ, uti Cicero scribit, locus, autoritas, domi splendor, apud exteras nationes nomen & gratia, toga prætexta, sella curulis, insignia, fasces, exercitus, imperia, prouinciæ. Omitto statuas, currus, rhedas, & multa alia, quæ longum est recensere, ea uerò copiosissimè descripta sunt in eo libro, quem de Senatu Romano scriptum nuper misit, ad sapientissimum uirum Petrum Miscouium Regni Poloniæ Procancellarium, Ioannes Samoscius, uir non antiquitatis modò Romanæ, sed omnis elegantioris disciplinæ laude præstans. Honorandi sunt igitur senatores in Repub. non honestiori modò loco, incessu, accubatione, sed etiam cæteris laudis & uenerationis insignibus. Augustus Cæsar quoties uenisset in Senatum, omnes nominatim salutando compellabat Senatores, discedens uerò, sedentibus nec loco suo se quidquam mouentibus uale dicebat. Adrianus Imperator, cùm libertum suum quem uehementer amabat, duorum Senatorum latere interclusum uidisset, misit unum qui illum in faciem percuteret, audentem se medium inserere Senatoribus, quorum seruus esse deberet. Athenis benè gestæ rei præmium Senatori corona fuit, qua donabatur à ciuibus, & publicè honorabatur, adiuncta pecuniæ summa. Nos præmia Senatoris, non tam auri, & facultatum publicarum possessiones esse uolumus, tametsi bonis & egentibus hæc danda sunt, quàm ut dixi, publici honoris, gloriæ, laudisque insignia. Vtilitas omnis posteriore loco putanda est, eaque magnanimo, iusto, prudenti & nobili senatori præ honore gloriaque posterior habenda. Non rectè sanè facere uidentur, qui Senatores solis utilitatum præmiis inuitant ad Rempub. Hoc potissimum in popularibus Rebuspub. fieri consueuit, in quibus æquè pauperes ac diuites in magistratus eliguntur, hisq; sunt publicè sumptus ad uitam dignitatemque sustentandam constituti. Contingit hoc etiam in illis Rebuspub. in quibus ciues pauperes sunt, & publica officia priuatis opibus sustinere nequeunt,

Ornamenta Senatoria Romæ.

Augustus Cæsar.

Adrianus imperator

Præmia senatorũ Athenis.

Præmia senatoris quæ.

Quibus sanè cauendum est, ne diuitiarum potiorem, quàm Reipub. administrandæ curam habeant. In cæteris Rebuspub. immunitates, prærogatiuæ, & priuilegia Senatoribus proponuntur. Seruanda est cuiusque Reipub. consuetudo, dandaque nostro Senatori opera, ut priuatis opibus, si id efficere potest, Reipub. seruiat: hoc enim generosum, iustum, & magnanimum Senatorem decet. Summam certè laudem merentur, qui diuitias suas omnes, qui labores, qui pericula, qui uitam ad extremum Reipub. dedicant, nihilque ducunt amplius, quàm ut patriam, suis efficiant consiliis & opibus tranquillam, felicem, beatam, seditionibus, tumultibus, odiis, simultatibus uacuam & liberam. Quòd si Senator hæc gloriæ monimenta, nominisque perpetuò duraturi famam, minorem uirtute & dignitate sua ducit, maiora sibi à Deo munera, felicitatis æternæ parata esse sciat: quæ sanè omnem splendorum, claritatum, amplitudinum æuitatem & perpetuitatem superant. Viuet igitur non modò in terris cum ciuibus suis, uerùm etiam cum Deo immortali in altissimo cœli domicilio, in præstantissima cælitum corona, felix, honoratus, gloriosus: qua gloria quid potest aut dici, aut excogitari gloriosius? Illudque sibi Africani dictum usurpabit:

Premia Senatori à Deo expectet.

Si fas cedendo cælestia scandere cuique est,
Mi soli cæli maxima porta patet.

Omnis animorum nostrorum uis eò remeare solet, unde emanauit: & cùm à Deo profecta est, ad eum etiam remigrare debet. Ex quo nobis est enitendum, ut primum omnium Deo quàm simillimi fieri uelimus, animique nostri diuinitatem iis uirtutibus exornemus, quibus quasi gradibus homines ad Deum solent ascendere. Quemadmodum uerò in hoc orbe, qui cæteros uirtutibus excellunt, quòd magis ad similitudinem Dei accedunt, maiorem laudem & gloriam merentur; sic in illa Deorum urbe, quo quis præstantissimus & optimus est, eò maiora uirtutis, probitatis, dignitatisque præmia consequitur. Ex quo intelligendum est, & in hoc hominum, & in illo Deorum orbe, Senatore eiusque omni virtute, nihil posse fieri præstantius, nihil excellentius, nihil diuinius.

Hæc habui de optimi Senatoris officio, uirtute, dignitate quæ dicerem. Hortabor autem Senatores, & eos, qui Reipub. gubernant, vt studium omne suum ad Reipub. felicitatem & tranquillitatem efficiendam conuertant. Adiuuabit (ut opinor) illos hæc institutio nostra: in qua sanè ueram, & non imperfectam optimi Reipub. moderatoris ideam expressimus. Quam si sequentur, ad ciues beatos efficiendos, ad Rempub. prudenter, & iustè gubernandam, nihil ea verius, nihil vtilius esse, re experti ita certè iudicabunt.

FINIS.

RERVM MEMORABILIVM QVAE IN HOC OPERE CONTINENTVR.

B

Bruti

Reipu-

T

V

FINIS.

Errata Corrigenda.

1.b.31.	*dum*	*cùm*
6.a.18.	*q;*	*dele.q;*
21.b.27	*fimilis*	*similis*
22.a.28	*distrahitis*	*distrahatis*
28.b.30	*Oyneas*	*Cyneas*
30.a.20	*Aristetelis*	*Aristotelis*
32 b.1	*Mulctabatur*	*Mulctabant*
40.a.38.	*Dymestæ*	*Dynastæ*
41.b.4	*obineat*	*obtineat*
42.b.18	*Inueniuntur*	*Inuenientur*
44.a.37.	*Si inuicem factionibus, & nulli amici distracti. Lege sic. Si inuicem amici, & nullis factionibus distracti.*	
48.b.7	*cautionibu:*	*cautioribus*
49.a.26	*nequeant*	*nequeunt*
52.a.32	*legesq;*	*legeq;*
52.b.1	*aers*	*acri*
61.a.5	*omni*	*omnis*
65.a.21	*perturbationib.*	*casibus*
66.a.35	*Item*	*ipse*
66.b.35	*eo, lege post*	*sumus*
69.b.6	*ducitur*	*ducatur*
73.b.27	*vitnum*	*vinum*
77.a.19	*γέροντες*	*χρισυμους*
77.a.37	*χρισυμους*	*γέροντες*
79.a.14	*virtuibus*	*virtutibus*
81.b.7	*resfidebunt*	*resfidebunt*
81.b.23	*contingeat*	*contingat*
82.a.10	*misic*	*misit*
82.a.25	*cinibus*	*ciuibus*

In Marginibus errores corrigendi.

68.b	*vitatcr*	*uitæ tutor*
73.a	*Qui*	*quæ*
78.a	*fortuna*	*fortunæ*

REGISTRVM.

† A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y.

Omnes sunt Duerniones,

VENETIIS.

APVD IORDANVM ZILETTVM.

M D LXVIII.